



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14

Del libro de la gomma. Scritto al granata.
DE R. 2735 R. 150

OPINIONVM
PRAXI
DISPV TATIO,

AVCTORE CANDIDO
PHILALETU GENVENSIS
PRESBYTERO.

Societas Jesu.
ILL^{MO} ET EXCEL^{MO} DOMINO
MARCHIONI ANTONIO
IVLI BRIGNOLE
DICATA.

Matriti: Ex Officina DIDACI DIAZ
DE LA CABRERA.
Anno 1645.





ILL^{MO} ET EXCELL^{MO} D. D.
Marchioni Antonio Julio Brignole
Serenissimæ Republicæ Genuensis,
apud potentissimum Regem His-
paniarum Legato merit^{mo}.
Felicitatem.



Pusculum hoc meum,
doctrinam continens,
antiquioribus Theo-
logis probatissimam,
recentioribus saltem
probabilem, tibi dicatum volui, vir
ingenio, nō minus celebris, quam dig-
nitate sublimis, et quod plurimum sa-
cientiasimul, ac pietate præstantium
testi-

SUMA DEL PRIVILEGIO.

testimonio firmum est, tuo etiamp patrocinio, & auctoritate fulciatur. Qua viris magnis munera offeruntur astimari solent, non tam pretio sui, quam voluntate offerentis. Exiguū sane donū, ac vile permagni in te studij mei, & ingentis obseruātia est argumentū; si respicis, & intuam possessionem, ac tutelam admittis, erit munus nō tam receptum à te, quam profectum. Non minenim tuo clarissimo, ac viuacissimo lucem debebit, & vitam. Vale.

Excellentia tua. Seruus additissimus.

Candidus Philaletus.

Fec

Tiene priuilegio del Rey N. Señor el Padre Candido Filaleto, Religioso de la Compañía de Iesús, para poder imprimir este libro intitulado, *Opinionum Praxi Disputatio* por diez años, sin que otra persona alguna le pueda imprimir, como más largamente consta de su original despachado ante Francisco Espadaña Escrivano de Camara de su Magestad, en quattro de Junio de 1645. años.

Fee de Erratas.

Este libro intitulado *Opinionum Praxi disputatio*, concuerda con su original. Dada en Madrid à 6. de Diciembre de 1645.

Doct. Don Francisco Murcia
de la Llana.

SUMA DE TASSA.

Los señores del Cōsejo tassaron este libro a quattro marauedis cada pliego, como consta de la fe que dello dio Francisco Espadaña Escrivano de Camara del Rey N.S. en 23. de Diciembre de 1645. años.

*Approbatio R. P. Emmanuelis Danila Cleri-
corum Regularum Minorum Supremi
Consilij Inquisitionis Calif-
icatoris.*

Opusculum de Opinionum praxi, Aucto-
re R. P. Candido Philaleto, de mandato
Don Francisco Zapata & Mendoza, Vica-
rii Generalis Matritensis, y oluptuose legi; ob
candidam conscientia viam, vtpote arctam
ne dicam arctissimam quāni animis ostendit
Auctor; laudabiliter; & tenaciter memor il-
lius quōdam diuinitus dicti, arcta est via qua
ducit ad viam; vt hanc securitate summa, scit
absque periculis errorum fœliciter omnes
adspici conentur. Quia propter arbitror tale
opus fidei consōnum dictamini cum ad mo-
res dirigat ita stricte; sicque dignum, vt in
lucem publicam prodest, quia undeque
fidelibus proficiunt. Datum Matriti in hac
nostra Dom̄o Sp̄ifitus S̄cti Clericorum Re-
gularium Minorum die 25. Februarij Anni
1645.

Manuel Danila.

Licēcia del Ordinario:

Nos el Licenciado don Francisco Zapata
y Mendoça, del Cōsejo de su Magestad
de la Santa y general Inquisicion, Capellan
mayor del Conuento Real de las Descalças,
Canonigo de la Santa Iglesia Primada de las
Españas, y Vicario General de la villa de
Madrid, y su partido, por los señores Dean y
Cabildo sedevacante de la dicha Santa Igle-
sia, &c. Por la presente, por lo que à Nos to-
ca, aprouamos yn libro intitulado *Opinionum
Praxi disputatio*, compuesto por el P. Candi-
do Filaleto, Religioso de los Padres de la
Compañía, y damos licēcia para que se pue-
da imprimir (teniendola primero para ello
de los señores del Consejo Supremo de su
Magestad) atento ha sido visto y examido
por nuestro mandado; y no tiene cosa contra
la Fè, ni buenas costumbres. Dada en Madrid
à nueve de Março de mil y seisciētos y qua-
renta y cinco años.

*Lic. D. Francisco Zapata
y Mendoça.*

Por mandado de D. Francisco mi señor.

*D. Andres de Aguilar.
Appro-*

*Approbatio R. P. Hieronymis Pardo, ex Ordine
Clericorum Regularium Minorum, Su-
premi Consilij Inquisitionis Cali-
ficatoris.*

TRACTATUM de Opinionum Praxi à R. P. Can^d
ido Philaleto, summo acumine elaboratum,
legi sedulò ex Supremi Senatus Regij decre-
to, illumque lucidissimis splendentem radijs, &
luce, & encomijs dignum censui: In paruo vo-
lumine, tot, neque ignobiles, materias exarat pen-
nitius ad vnguem examinat, mirabile sane, in cò
dice vno (velut alter in latere Hyerusalem) de-
pinxit Theologiam Fidei, & disciplinæ ortho-
doxæ aditus obscuriora ac curatè eliminat, pro-
lixiora in Iaconismum dilucide compellit, dum
profundissima rimatur arcana. Nihil dissonum ci-
tat sacræ auctoritati Patrum, & utilitari Ecclesiæ
reperio, omne consonum Scripturis, Doctoribus, &
Dogmatibus inuenio. Quare typis mandari con-
gruum, & vniuersali bonoexpedientissimum iudi-
co. Madriti in nostra Spiritus Sancti Domo: die
vigesima mensis Maij anni Domini millesimo se-
centesimo quadragesimo quinto.

Hieronymus. Pardo.

DE

DE OPINIONVM PRAXI
Disputatio.



T clarius & securius, in difficulti-
ma, & grauissima disputatione
procedamus, discussienda quædā
singillatim sunt, ac distinguen-
da, & quidem exquirendum.

1. *Verum ad honestatem actionis humanae suffi-
cias opinio de ea, an etiam requiratur certi-
tudo.*
2. *Verum opinari sit liberum, vel necessarium.*
3. *Verum possit quis utrunque contradicitionis
partem opinari.*
4. *Verum ad opinandam, & licet sequendam in
praxi aliquam propositionem, sufficiente esse
utrumque probabilem.*
5. *Verum licet sit sequi minus probabilem par-
tem, relicta probabiliione.*
6. *Verum ex duabus opinionibus, seu partibus*

A

con-

De Opinionum Praxi

- contrarijs, aequo probabilitus, licitum sit
veraque sequi, vel alteram.
7. *Virum teneamus qui tutiorem partem.*
 8. *Virum unus Doctor, vel etiam alter, sit sufficiens fundamentum opinionis in praxi eligenda.*

QV AESTIO PRIMA.

Virum ad honestatem actionis humanae sufficiat opinio de ea, an etiam requiratur certitudo.



Sr Quæstio controversia inter insignes Doctores, & Théologos:
Vtrum scilicet ad hoc, vt quis honestè, seu cum virtute operetur, sufficiat illum habere opinionem, seu probabile iudicium, quod talis operatio sit honesta, & licita, vel etiā operatur de hoc certum esse. Ita vt si cum aliqua dubitatione, vel formidine de opposito operetur, peccet.

Supponendum, quod communiter receputum est inter Doctores, dubitationem, seu du-

Disputatio.

3

dubium propriè acceptū distingui à formidine; nam dubium est, cum intellectus, inter duas partes constitutus, quarum altera affirmit, altera negat, remanet suspensus, & neutrī assentitur, quia non habet sufficiētia motiva pro una parte magis, quam pro altera, quæ inclinet, & moveant ad assensum. Formido vero est, cum assentitur quidem intellectus vni parti, sed quia talis assensus non est cū certitudine, & infallibilitate, eo quod rationes, seu motiva, quæ causant assensum, sunt tantum probabilia, & nō necessaria, formidat adhuc intellectus, ne pars contraria vera sit: formido igitur cum assensu probabili, qui dicitur opinio, iancta est: dubium vero non est cum assensu: aliquando tamen dubitationem impropiè sumunt Doctores, & cum formidine confundunt, quatenus utraquæ certitudinem, & infallibilitatem excludit.

Prima igitur sententia ad honestatē actionis humanae requirit certitudinē de ea, quæ dubitationem propriè dictam, & formidinem pariter excludat.

Est Sancti Thomæ quodlibeto 8. art. 13. vbi docet: *Quod si quis ex cōtrarietate opi-*

Az

nio-

De Opinionum Praxi

nionum in aliqua materia, inducitur in quādam dubitationem, & tali dubitatione manente operatur, proculdubio peccat. Si vero ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, non peccat. Ibi autē sanctus Doctor per dubitationem, satis clare intelligere videtur non solum verum dubium, sed etiam formidinem, quae aliquo modō certitudinē tollat: Dicit enim, quod ex conscientia obligatur quis ad peccatum, siue habeat certam fidem de cōtrario eius, quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione; at cum opinione, non stat dubitatio vera, & propria, sed tātum formido; ergo etiam formidinem excludere vult Angelicus, ad hoc, ut quis recte operetur. Præterea inferius dicit, quod si habeat certitudinem de contrario, sed in quandam dubitationem iniucitur ex contrarietate opinionū, & cum tali dubitatione agit, peccat, quia exponit se periculo peccandi. At certitudo de contrario moralis admittit quidē, ut videbimus infra, dubitationē impropriè dictim, scilicet formidinem, sed non propriè dictum dubium, cum qua tamen impropria dubitatione si agit, vult ipsum peccare, quia ex-

Disputatio.

exponit se periculo peccandi, quod manet etiam cū sola formidine, ergo formidinem etiam excludit. Denique ibidem in, sed contra, sic habet. Poteſt eſſe, quod in caſu cōtrariarum opinionum, aliquis adhibita diligētia inquirendo, quid liceat, non intueniat ali- quid, quod eum moueat ad hoc, quod sit il- licitum, & ſic poſſit ſine peccato operari: ex quo vides iſpum velle; ut non moueatur in- quirens ab opinione coſtraria, ſed certò fun- detur in ſua.

Sequitur Cajetanus in ſumma, verbo opi- nio. Arnallia in ſumma, eodem verbo. Naua- rrus in c. ſi quis, de pœnitentia, d. 7. n. 61. 62. 63. & alij, in primis autem Leonardus La- ſius in opere ſuo de iuſtitia, & iure, cæterisq; virtutibus, lib. 1. de prudentia dub. 1. vbi ad prudenter, & honestè agendum requirit tale certitudinem, quæ non ſolum dubium, ſed etiam formidinem excludat.

Probatur primò ratione S. Thomæ, quia cum dubio, ſeu formidine de veritate oppo- fita, committit ſe quis periculo faciendi cō- tra legem, & anteponit temporale bonum spirituali; ergo peccat. Antecedēs probatur, quia tunc committit ſe quis periculo, cum

De Opinionum Praxi

non est securus de contratio, sed qui formidat contrarium, non est securus, ergo, &c.

Probatur secundò. Prudentia est virtus ex Aristotele, & omnibus, tam Philosophis, quam Theologis; sed virtute non possumus malè vivi, seu per illam errare; ergo quicunq; agit ex prudentia, nō potest errare; ergo scit, & non solum opinatur se recte agere; quia qui opinatur, potest errare; & per consequēs, qui solum opinatur, non agit ex prudentia, neque ex virtute; ergo ut prudenter quis, & ex virtute agat, debet certò scire se non pecare, sed recte agere. Confirmatur primo ex definitione Aristotelis & Ethit. cap. 5. vbi ait, quod prudentia est habitus cum ratione vera, circa bona humana actius; ergo si est cum ratione vera, non fallitur; ergo habet certitudinem, quia alioqui posset falli. Confirmatur secundò, ex eodem Aristotele, eodē lib. cap. 3. vbi opinionem honesti, cum possit esse falsa, negat esse virtutē. Ergo prudentia, quæ virtus est, non potest esse falsa; ergo certò, seu infalibiliter tendit in suum obiectum. Confirmatur tertio, ex S. Augustino lib. 1. de libero arbitrio. cap. 13. vbi definit prudentiam esse rerum appetendarum, & fugienda-

Disputatio. 4
rum scientiam; at scientia est certa notitia. Ergo, &c.

Secunda sententia est, ad honestatē actionis humanae requiri certitudinem de ea, non quidem omnimodam, sive Mathematicam, sed moralem, qualis estimatur illa; quæ talis est iudicio boni, ac discreti viri; sed quidam ex his qui ita sentiūt, ab hac certitudine excludūt formidinem, quales sunt Caetanus, & Nauarrus, quos ideo retuli pro prima sententia; alij verò formidinem nō excludunt, & propterea cum authoribus tertiaræ sententiaræ concordabunt. Ita Angelus, & Syluester insim. v. opinio.

Probatur, quia ad prudenter, & honeste agendum, requiritur aliqua certitudo, ne exponat se quis periculo peccandi; sed in moralibus non potest haberi, nisi certitudo moralis, ergo ista sufficiet. Confirmatur, quia ex Aristotele 1. Ethicorum, disciplinati est in unaquaquæ re certitudinem querere iuxta exigentiam materiæ: æque enim virtuosum est persuadentem querere Mathematicum, & moralem demonstrantem. Non enim, inquit Angelus cit. loco, consurgit certitudo moralis ex cvidentia demonstrationis, sed ex

De Opinionum Praxi

probabilibus coniectionis, grossis, figurantibus, magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus.

Tertia sententia, in re à secunda non discrepans, est nō nullorum recentiorum, quos videte potes, apud Thomam Sánchez in Decalogum lib. i. cap. 9. num. 18. quā tripie ctiā sequitur. H̄i dicunt non requiri iudicium certum, & evidentem dictam actionem licitam esse, seu honestam, sed sufficere probabile iudicium, cum partis oppositae formidine.

Probatur primo. Formido contrariae partis non excludit determinatum assensum unius; sed ponit tantum rationes istius partis, cui præbetur assensus; nō esse necessarias, sed tantum probabiles, & falibles; ergo stat intellec̄tus assentiri vni parti, quamquam cum formidine alterius; ergo cum tali assensu licetē quis operabitur, quia operatur cum assensu intellectus, seu cū discutire rationis.

Probatur secundò. Ad prudenter operandum, sufficit iudicium probabile; ergo & ad honeste operandum. Consequētia patet, quia prudentia est regula humanorum actuum. Antecedens probatur; quia aliqui vix licet operari propter incertitudinem rerū pra-

eti-

Disputatio.

§

cticarum, siue moralium. Confirmatur ex illo incertæ prouidentiæ nostræ.

Probatur tertio. Ille solus exponit se periculo peccandi, qui credit aliquid esse illicitum, non habens probabile assensum dictam esse licitum. Ergo, &c.

Aduertendum pro solutione. Cū prudētia, ex supra dictis, certa sit, & infallibilis; aliqui enim non esset virtus intellectus, seu habitus cū vera ratione actius, vt à Philosopho definitur; eadē tamen versetur circa obiecta, vt plurimum fallibilia; talia enim sunt agibilia, quæ indemōstrabilia fere sunt; querendum est quomodo infallibiliter secundum suas regulas tendere possit in suum obiectum.

Caietanus, & Nauarrus, quos refert Vazquez 1.2.q.19.art.6.disp.62.c.5. conati sunt hanc infallibilitatem circa fallibilia obiecta inuenire: dixeruntquè iudicium prudentiæ esse practicum, & circa singularia; quod quidem iudicium potest esse certum, quamvis in eadem materia iudicium speculativum, & circa vniuersalia nō sit certum, & absque formidine; vt si quis, inquit Caietanus, speculatiue hæsitet, seu formidet propter diuer-

sas

De Opinionum Praxi

fas opinione Doctorum, an liceat in mutuo
ultra sorteni aliquid accipere, ratione lucri
cessantis; potest tamē in particulāri, sine for-
midine iudicare, hic & nunc licitum esse si-
bi. Naustrus pariter exempla duo assert ad
idem probandum. Primum Christiani, certō
credentis omnia, quae continentur in scrip-
tura; dubitantis autem, an Tobias habuerit
canem, quia forte dubitat, an hoc in scriptū
ra contineatur. Secundū alicuius iter agen-
tis, sine vlla formidine peccati die festo, qui
si interrogaretur, an liceat illo die iter age-
re, de eo dubitaret; vndē colligit, certū quē
esse aliquādo in singulari, non in vniuersali,
aut in vniuersali, nō in singulari. Cōtra quos
meritō Vazquez insurgit, arguendo, quod
impossibile est, aliquē dubitantē de particu-
lari, nō dubitare de generali, cum hoc parti-
cularia omnia cōtineat; & dubitātē similiter
de generali, nō dubitare etiā de particulari,
nō subsistēt aliqua peculiari ratione potius
pro se, quā pro alijs, quæ nimirū in generali
nō cōtineatur; & bene respōdet ex ēplis, quæ
verē non probant intentum, vt per se patet,
& quisque apud ipsum legere potest; ideo
Vazquez assert sufficere iudicium probabi-
le,

Disputatio.

6

Ie ad honestē agendum, cūm formidine op-
positi.

Sed tunc remanet difficultas, ipsi enodans
da, quomodo prudentia sit virtus, & iuxta
Aristotelem habitus semper verus; nam cer-
tē opinio sola honesti potest fallī, vndē po-
test contingere, vt vera nō sit; vndē & à Phi-
losopho, vt suprà diximus, reiicitur à ratio-
ne virtutis.

Lessius loco citato assert, prudentiam nō
falli circa suum obiectum, iudicando, verbi
gratia, honestum & licitum, licet in se tale
nō sit, eo planè modo, quo potest esse aliquid
iucundum alicui in tali dispositione, nem-
pē sicienti, quod aliās esset eidem molestum.

Sed contra est, quia in dispositione corpo-
rali, quæ facilē variatur, ac proinde statas
rationes nō habet, facilē etiam appetit, quo
modo aliquid modō conueniens sit, modō
inconueniens, adeoquē nunc molestam, nūc
iucundum. At in iudicio intellectus, præser-
tim prudētis, adeoq; rectē iudicantis, diffici-
lius est rationē diuersitatis inuenire. Præte-
rea remanet explicandus nodus, quomodo
in vniuersali intellectus, idē iudicet actio-
nem licitam esse, sed tamen cum formidine;

in

De Opinionum Praxi

in particulari autem, & sibi iudicarc possit, sine formidine esse licitam: nam quæ dispositio huius facit, ut in generali iudicet, cum formidine, esse licitam in particulari autem & sibi, iudicet id sine formidine.

Mihi dicendum videtur (salvo semper meliore iudicio) prudentiam habere aliquod iudicium certum, & infalibile, quo etiam in obiecta falibilia infalibiliter tendat; idque puto esse huiusmodi. Quicunque in eligendo, seu agendo, sequitur dictamen rationis, certum est hunc honestè agere, & sine peccato; sed qui probabile iudicium sequitur, seu opinionem rectè agendi, sequitur dictamen rationis; igitur certum est hunc honestè agere, & sine peccato. Maior est euidēs, quia non honestè agere, seu peccare, aliud nō est, quam non sequi, seu non conformari dictam rationis. Minor probatur; quia dictam rationis, aliud non est, quam illud, in quod inclinatur ratio per assensum, quod sit faciendū; vel nō faciendū, sed qui sequitur iudicium probabile, seu opinionem honestè agēdi, sequitur inclinationem rationis per assensum, quod sit faciendū; ergo sequitur dictam rationis. Neq; dicas istud dictam nō est certum;

Disputatio:

7
tum; ergo neq; ille certus est, quod non peccet. Nā cōtra est, quia ego in argumēto, quod puto satis demonstratiūe concludere nō posui certum dictamen, sed tantum, qui sequitur dictamen rationis in eligendo, seu agendo, certum est hūc honestè agere, seu absque peccato deinde subsumpsi; sed qui probabile iudicium sequitur, sequitur dictamen, ergo: & patet, vt certus sit quis se non peccare sufficere, quod sequatur probabile iudicium honestè agendi in hac, vel illa materia; quia alioqui requireret à nobis Deus impossibilia; nam habere certum iudicium in particulari de omnibus eligibiliis, impossibile est, nam moralia, vt plurimum non sunt demonstrabilia, vt vidimus ex Aristotele in Ethicis.

Dices: si sequor probabile iudicium, quod honestè agam, seu non peccem; quomodo certus esse possum me non peccare? Si quidem ex probabili non sequitur certum.

Respondeo, duplex est medium ad cognoscendum, quod ego non pecco; aliud particulare in hac, & illa materia, vt quod tantam mensuram bibendo, non peccem, quia tanta mihi est medium rationis; & hoc medium

De Opinionum Praxi

Si um erit mihi solūm probabile; quia non euidenter hoc medium rationis calleo; & sic solūm opinor me recte agere, si tantam mēsuram bibam. aliud est medium generale, complectens omnes materias, quod ego nō pecco, quoties cunque sequor dictamen rationis; ex quo subinfero; at modò bibens tātam mensuram, sequor dictamen rationis; igitur non pecco. Quare in hac conclusione, igitur non pecco, ex medio particulari, solū opinor me non peccare, & potest sub esse ex ror; at ex mediò generali certus sum me nō peccare; & non possum errare. Apparet igitur ex illo generali principio prudentia deduci aliquam conclusionem certam sine formidine, quæ ex medio particulari talis matetiæ, non esset certa sine formidine, sed tantum opinabilis; & ratio huius diuersitatis est diauersitas medij. Cur autem semper ex hoc principio generali liceat cōcludere sine formidine, ut patet inductionem facienti, licitum aliquid esse in particulari, & mihi, seu indiuiduo vago, non autem licitum esse in generali, & secundum se, ratio quærenda est; & mihi videtur huīusmodi; quia cum licitum, seu honestum sit, quod est conforme ra-

tio-

Disputatio.

8

tioni; & quidē aliqua detur ratio infallibilis; qualis est diuina; alia autem fallibilis; qualis est humanæ; contingit, quod hoc, quod respectu diuinae rationis infallibilis, non est honestum, honestum sit per respectū (nam honestum semper dicit respectum ad rationē) ad rationem humanam, qua hic, & nūc fallitur; vnde per accidens tantum hoc erit honestum, illud verò per se. Propter quod Aristoteles lib.5. Eth. cap.9. & lib.7.c.1. ait, quæ esse incontinentem per se, si faciat quod per se est contra continentiam, alium verò per accidens, quia putat sic esse; qui similiter continentens esset per accidens si putaret sic esse, licet per se non sic esset. Prudentia igitur, quæ iudicat, quid hic, & nunc liceat mihi, seu indiuiduo cuilibet vago, nam actiones circa quas ipsa versatur, sunt singularium, potest sine formidine, & sine errore aliquid honestum, & licitum mihi, adeoquè honestū per accidens iudicare, quod per se, & in generali per respectum ad quamcumque rationē possit esse in honestū, & sic si iudicaretur à prudentia secundūm se honestum, tunc potest falli; sed non sic iudicatur, sed honestum mihi, seu taliter, aut tali cùm ratione, nem-

pē

De Opinionum Praxi

pè fallibili iudicanti. Ex quo colligitur primò, quomodo respondeas argumento Vazquez superius adducto, quod videlicet non possit aliquid in generali iudicari licitum cum formidine, quod in particulari licitum sine formidine iudicetur, quo quidem recte impugnat alios, sed non nos, nam ille ipse licet non aduerterit (quod cum bona eius gratia sit dictum) ibidein pro nobis solutionem affert; dum ait; Non subsistente particului aliqua ratione pro particulari, cù enim quādō concluditur licitum certo est mihi, agatur de licitō, siue per se, siue per accidens; quandō autem dicitur formidando, licitum est secundum se, & in generali, agatur de licitō per se; iam non est mirum, quod variatis terminis, varietur etiam notitia illorum, & quod certum sit aliquid in particulari, ob rationem particularem, quod certum non est in generali, quia talis ratio in illo generali non includebatur; nam in illo generali quarebatur de licitō per se, in isto autem particulari quarebatur de licitō, siue per se, siue per accidens.

Colligitur secundō, quod quandō dicitur licitum in particulari, nō intelligitur in particu-

Disputatio:

9

ticulari particulariter, sed in particulari universaliter, seu cuilibet individuo vago, positio in talibus circumstantijs. Ex quo pariter respondebis illi argumento, quod sit contra certitudinem prudentiae à nobis assertam, ex eo quod hæc circa singularia versetur, quæ variabilia, & incerta sunt, unde neque certa notitia de ijs haberi potest. Cui quidem argumento Lessius Præfato loco num. 4. non omnino sufficienter respondere videtur. Tu vero respondebis, quod cum versetur prudentia circa singularia universaliter accepta, quatenus quod dictat huic faciendū, convenit etiam cuilibet in talibus circumstantijs constituto, iam nō versatur circa illa, ut variabilia, sed vt sunt certa regula dirigibilia, his itaque positis.

Dico primò, ad hoc ut quis prudenter, & honeste agat, requiritur certitudo excludens formidine, cum qua certitudine iudicet illud, sibi licitum esse, seu honestum esse saltem per accidens.

Est Aristotelis, S. Thomæ, Caettani, & aliorum, quos supra retulimus in prima sententia.

Probatur primò argumentis ibidē positis.

B

Pro

Probatur secundò ex nostro aduertendo, in quo attuli argumentū generale, quo concluditur ab habitu prudentiæ in omni materia morali alicuius agibilis, alioqui ex proprijs principijs, & secundūm se tantum opinati liciti, licere illud huic in particulati certo, & absque formidine; est quæ huiusmodi. Quicunque in eligendo sequitur dictam rationis, certum est hūc honestè agere, sed qui probabile iudicium sequitur, seu opinionem rectè agēdi, sequitur dictamen rationis; igitur certū est hunc honestè agere, & sine peccato. Cum igitur facile haberi possit hæc certitudo à quolibet agere volente ex virtute, requiritur proculdubio, ut habeatur; quia exponere se periculo, cum securitas haberi potest, prudentis non est.

Probatur tertio, ex S. Augustino hom. 41. Tene certum, relinque incertum; sed potest haberi certitudo, excludens formidinem in actionibus humanis regulatis à prudentia, ut probatum est, ergo tenenda est.

Dico secundò. Iudicium probabile, quo quis iudicat se honestè agere, loquendo de honestate per se, requiritur, & sufficit ad honestè agendum,

Eft

Est auctorum tertiae sententiae, de quibus suprà.

Probatur argumentis eorumdem superius allatis, quæ benè concludunt sufficientiam iudicij probabilis de honestate actionis: quatenus verò impugnant certitudinem superius assertā à nobis de honestate actionis saltem per accidens, respondebimus sanguinatim inferius.

Dico tertio. Huiusmodi probabile iudicium potest dici certum certitudine moralis, quæ tamen minor est illa, que excludit formidinem.

Est auctorum secundæ sententiae, de quibus suprà.

Probatur primo arguento ibi posito.

Probatur secundò. Si intellectus moraliter non est dubius, est moraliter certus, sed cum habet iudicium probabile, seu opinionem de aliquo, moraliter non est dubius (loquelo de dubio propriè accepto) ergo moraliter est certus.

Ad argumenta tertiae sententiae quatenus pugnant contra primam nostram assertionem, tamen respondendum est.

Ad primum concessò antecedente, & pri-

ma consequentia, nego secundam; quia ut licet quis operetur, debet securè operari, cù possit, hoc enim requirit prudentia; at formido tollit securitatem, & prudentiae certitudinem.

Ad secundum nego antecedēs. Ad probationem, rēs morales habent incertitudinem, quoad veritatem honestatis per se ex medijs particularibus, & proprijs cuiuscumque materiæ, concedo; nego autem incertas esse, quoad veritatem honestatis etiam per accidens, & ex illo medio generali, quo per prudentiam infallibiliter attinguntur; vnde patet ad confirmationem.

Ad tertium nego antecedens. Primi, quia non necesse est, ut quis se exponere dicatur peccandi periculo, ut credat aliquid esse illicitum; nam sufficit, quod dubitet de hoc per rationes æquales, vel quasi æquales, quas habet pro illico; sic enim cum in dubio sit, non potest habere assensum probabilem, distantem esse licitum, quem tamen assensum ipsimet aduersarij requirunt; quare non consequenter loquuntur, cum requirunt, ut credat quis esse illicitum ad hoc, ut dicatur se exponere periculo peccandi, cum dubium suf-

sufficiat etiā per ipsos. Secundò, multo magis à nobis negatur illud antecedēs; nam si stendo in probabili tantum assensu, non potest negari formido, ac proinde periculum: quis enim vñquam negauerit, illum qui habet probabilē assensum, quod in duello vincet, non se exponere periculo maximè si ita sit probabile, ut tamen magis probabile sit, ipsum vincendum, & occidendum; & tamē minus probabilem partem se qui nos posse, isti auctores tertiae sententiæ docent, ut infra videbimus; quis inquam negauerit hunc se exponere periculo, & quidem manifesto? Vnde patet illum, qui sequitur minus probabilem, non tantum esse in dubio faciendū illicitum, sed exponere se manifesto periculo, plusquam se exponat, qui est in dubio.

QVÆSTIO II.

Vtrum opinari sit liberum, vel necessarium.

Quoniam iam statuimus sufficere ad hoc, ut quis licet agat, iudicium probabile de honestate per se ipsius actionis, nempè quod iudicet probabiliter, actionem huiusmodi

modi per se licitam esse, & honestam, quod est idem ac opinari de veritate alicuius propositionis practicæ, verbi gratia huius; innocentem conuictum reum licet condemnare; de veritate, inquam huius, & similiū propositionū prærequiri, ac sufficere, vt habeat qui honestè operari vult, iudicium probabile, seu opinionem, determinauimus suprà ex communi Doctorum consensu; iam videndum est, quomodo circa practicas huiusmodi, & agibiles propositiones opinari quis possit. Et primò querimus hic, utrum liberum sit opinari, vel necessarium; nimurum utrum possit quis opinari, quod vult, an verò necessitetur quicque ab obiecto, seu motu, que sunt in re, seu quæ sunt independentia à voluntate, necessitetur, inquam, ab illis ad hoc, vt opinetur hanc partem contradictionis, exempli gratia, quod licet condemnare innocentem, conuictum reum, & non possit opinari contrariani, quæ est, non licet condemnare, &c.

Videtur esse liberum opinari.

Primo. Quia demonstratione solum necessitatibus intellectus; ergo probabili arguento, quale est illud, quod generat opinio-

nionem, remanebit liber.

Secundò. Ad credendum necessaria est inclinatio voluntatis; unde proverbum est; urbanitatis esse credere; sed fides, non secus, atque opinio, nititur argumento probabili (loquor enim pro nunc de fide humana) ergo etiam ad opinandum, necessaria erit voluntatis inclinatio; ergo liberum est opinari. Confirmatur ex S. Thoma 2.2. quest. 1. art. 4. corp. vbi ait, intellectum assentiri alicui propositioni, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionē voluntatis declinans in unam partem, magis quam in aliā. Et huiusmodi esse dicit assentum fidei, & opinionis; ergo, &c.

Tertiò. Quando conscientia non est cum scientia, potest quis formare conscientiam, deponendo scrupulum, vel dubium; ergo, &c.

Quartò. Licet probabilitas sit ex una parte contradictionis, non tollitur probabilitas ex altera; ergo liberum est opinari.

Sed contra est, quod docet Aristoteles 2. de anima t. 15 s. quod non est eadem Phantasia, & opinio; haec quidem enim passio in nobis est, cum volumus; licet namque, cum

libet, fingere, quicquid volumus; opinari autem non in nobis est, necesse enim falsum, aut verum dicere.

Dicendum opinari esse liberū quoad exercitum actus, non autem quoad specificationem.

Explicatur. Exercitum actus, significat actum simpliciter, siue sit assensus, siue dissensus, & hoc dicimus esse liberum, estque extra omnem controversiam apud omnes; quia voluntas potest actu intellectus, siue sit assensus, siue dissensus prohibere, vel suspendere. Specificatio vero actus dicit talē actu in specie, nēpē, vel assensum, vel dissensum; & de hoc asserimus nō esse liberum assentiri, vel dissentire; sed dato, quod intellectus circa, quodpiam obiectū operetur, iudicando, non posse ad libitum assentiri, vel dissentire opinando; sed necessitari ab obiecto, ita ut ab illo solo pendeat in præbendo assensum, vel dissensum opinatiuum, nullo autem modo à libertate voluntatis; hoc enim est, liberum esse intellectū in opinando quoad exercitum; quæ est prima pars assertionis nostre; non autem quoad specificationem; quæ est secunda.

Prima igitur pars assertionis, quæ vltro conceditur ab omnibus, ex ipsam explicatione satis per se patet, nec indiget alia probacione.

Secunda pars est Aristotelis aperte textu supra citato in sed contra. Est etiam Commentatoris in illum textum; ait enim. Imaginatio est nobis voluntaria; existimare autem non est voluntarium, cōtingit enim necessario, verum, aut falsum existimare; quæ ratio ostendit nullo modo liberum esse existimare, seu opinari: nam cum existimatio veri, vel falsi nullo modo à voluntate pendeat, sed totaliter ab obiecto, cui quatenus consonat, vel non consonat existimatio, vel opinio, eatenus vera, vel falsa est; ideo nullo modo à voluntate pendet, sed necessaria est. Est etiam Simplicij ibidē; vbi pariter necessitatis in opinando Aristotelicam rationem explicat; ait enim. Assensus non secundum solum occurritum intellectionem, sed etiam per veri, & falsi fit distinctionem: verum autem, & falsum consistit in concordantia, & discordantia, quæ inter res sunt; res autem non sunt in nobis. Quæ ratio omnem libertatem in opinando secundum specificationem

nem tollit; ut appareat, & infrā melius patebit. Est Themistij ibidem; qui asiensum omnem, siue scientiæ, siue opinionis, siue prudètiæ necessarium ponit, licet afferat exempla solūm in assensu scientifico. Philoponi ibidem; vbi dicit, quod tam firma est ratio Aristotelis, quòd non est in nobis opinari; quia verū dicimus, vel falsum; ut etiam si imaginatio, sit in nobis, tamen si forte imaginari volumus, quod verum est, seu quod iam est; ut si Socratē imaginari proponamus, nō possimus illum imaginari, vt volumus, sed necessario imaginari debemus, vt sc habet; vnde concludit; quare est exacta omnino differentia, quod opinio quidem non est in nobis, imaginatio autem est in nobis quodā modo; vbi vides, quod per ipsum opinio nullo modo est in nobis. Est igitur Philosophorū auctoritate munitissima assertio nostræ; sed & Theologorum nō minus: nam est S. Thomæ commentario in illum textum, & ibidē Cajetani, imò Angelicus Doctor etiā 1.2. quest. 13. art. 6. ad 3. non vult concedere electionem alterius ex duobus, aequem mouentibus, si in altero non consideretur aliquid, in quo emineat; qui proinde multo mi-

minus concederet libertatem in intellectu æquilibri, aut minus probabili, adeoquè libertatem ullam specificationis in opinando; cum intellectus, ab obiecto, & motuis determinetur multo magis, quam voluntas. Adde quod idem sanctus Doctor 2.2. quest. 1. art. 4. ad 2. afferit ea, quæ subsunt fidei, sub ratione credibilis esse visa credenti, nō enim crederet, inquit, nisi videret esse credendum. Sed quæ sunt visa necessitant ad specificationem; ergo vt credibilia sunt, seu vt mouent intellectum ad credendum, vel nō credendum, quoad specificationem, non verò quoad exertitum necessitatē intellectum secundum S. Doctorem; nam qui videt, vt ipse dicit, esse credendum, quomodo liber est secundum specificationem ad non credendum? Est etiam Ioannis Maiotis in 4. quest. 2. prol. Ricardi de Mediavilla in 2. sent. d. 3. 8. art. 2. q. 4. vbi sic ait. Intellectus respectu sui iudicij, aut habet rationem necessariam, aut probabilem, aut non plus habet de probabilitate pro una parte, quam pro alia. Si primò modò, de necessitate afferit hoc esse eligendum; si secundò modò, de necessitate opinatur hoc esse eligendum; si tertio modò, de ne-

necessitate nō plus opinatur vnam partem; quam aliam. Deinde subdit quædam, quæ pertinent ad libertatem exercitiū; nempe cogitare de his rationibus, vel nō cogitare de illis, de quo nos postea in obiectis inferius. Est Hentici de Gandaū, quodlib. 14. quæst. 8. vbi respondens quæsito à se facto de libertate intellectus, hæc habet. Ex quibus cōstat, quod intellectus nihil habet libertatis, nisi quoad exercitium actus, donec voluntas permittat: & infrà dicit, quod intellectus in iudicando est liber tantum quoad exercitium actus, quia in hoc est passiva potentia à voluntate, priusquam actua. Vnde patet ratio, cur quoad specificationem sit necessarius, quia est passiva potentia, priusquam actua, à solo obiecto, cui debet cōformari in assensu, vel dissensu, vt verus sit, obiectum autem mouet necessario, seu independenter à libertate. Est Contradi de contractibus quæst. 10. vbi sic habet; si causæ adhærendi opinioni damnanti actum, sunt magis prægnantes, tunc sunt natæ inducere cum ad magis credendum, quod sit illicitus, quam quod sit licitus; modò intellectus est potentia naturalis, non potens non credere id, quod sibi ostendit.

ostenditur, vt magis credibile; igitur talis magis credit, quod sit damnatus actus, & sic agens, agit contra conscientiam reclamantem, & peccat, vbi nota illa verba; modo intellectus est potentia naturalis, non potens non credere, &c. Est Antonij Cordubensis lib. 2. quæstionarij, quæst. 3. vbi sic habet; validioribus rationibus, & fundamentis probabilioris opinionis naturaliter cōuincitur intellectus, vt huic parti potius, quam oppositæ assentiat. Vbi aduertere, quod primò dicit, naturaliter conuincitur, idest Phisice necessitatur. Secundò, quod non dicit conuinci absolute intellectum probabiliibus, sed conuinci in ordine ad assentiendum huic parti potius, quam alteri; nā verè in hoc non est liber, vt est Roberti Holchot in 1. sentent. quæst. 1. vbi hoc latè probat, adducto ad idem Aristotelis, & Commentatoris p̄e allegato testimonio verū dicat, seu vt obiecto conformetur, quantum potest. Est Tole in summa, de septem peccatis mortal. cap. 20. vbi relatis circa quādam causam contrarijs opinionibus Doctorum, & tenendam afferens ex illis tutam, rationem sui dicti affert hanc; quia in rebus dubijs nō debet se homo

homo exponere periculo peccandi. At qui si liberum esset opinari, dico ego, posset tunc, cum iam sunt opiniones Doctorum in utramque partem, opinari quis illam partem, quam vellet, & iam non verfaretur in dubio, neque se exponeret peccandi periculo; ergo secundum mentem doctissimi Cardinalis non est liberum opinari, sed intellectus necessitatur ad specificationem actus a motu obiecti, vel ad dubitandum, si contrariae partes aequem mouent, vel ad opinandum, si una magis, quam altera. Est Pauli Comitoli in resp. moral. lib. 5. quæst. 16. num. 2. & aliorum.

Probatur primò ratione perspicua eiusdem Aristotelis suprà citato textu 2. de anima; quia imaginari liberum est; nam pendet ab arbitrio; et opinari non sic; nam pendet totaliter ab obiecto, cui soli debet conformari in assensu quolibet, vel dissensu, vt verus sit, at obiectum non est in potestate nostri arbitrij; ergo, &c. in forma ponitur sic argumentum. Quod in agendo pendet tantum a mouente necessario, necessario agit; sed in assensu, vel dissensu opinatio, vt verus sit, vel falsus intellectus, pendet tantum a mouente necessario (nempè obiecto, cui tantum debet,

bet, vt verus sit assensus, vel dissensus cōfotari, vel non conformari, vt sit falsus) ergo in assensu, vel dissensu opinatio, vt verus sit, vel falsus, illius necessario agit; sed semper assensus, vel dissensus verus est, vel falsus; nam ex Aristotele, & patet de se, in opinando intellectus semper dicit verum, vel falsum; ergo semper intellectus in assensu, vel dissensu opinatio necessario agit, quoad specificationē, quod erat probandum. Confirmatur, & melius praedicta ratio explicatur: quia intellectus opinando, necesse est, vt verū, vel falsum dicat; sed vt dicat verū, vel falsum, non est liber. Ergo opinando non est liber. Maior est Aristotelis, & patet, quia opinando dicimus semper verum, vel falsum; nam omnis propositio enuntiatio de re qualibet, vel est vera, vel falsa. Minor probatur, quia intellectus, vt dicat verum, vel falsum, habet causam necessariam; ergo non est liber. Antecedens probatur, quia veritatis, vel falsitatis intellectus causa solum est, esse, vel non esse rei; nam ideo solum proposito est vera, vel falsa, quia res est, vel non est; sed esse, vel non esse rei est necessarium, seu independens omnino à nostra libertate; vt quod sit Cœlū solidū, vel non scilicet.

fidum; cambiū recursā iustū, vel non iustū; ergo, &c. ita etiam superius explicauit Simplicius rationem Aristotelis, meo iudicio demonstratiuam; quia scilicet verūm, vel falsum consistit in consonantia, vel dissonantia; sed hēc pēdet totaliter ab obiecto, quod non est in nostra potestate; ergo, vt dicamus verūm, vel falsum, non est in nostra potestate; sed cūm opinamur, semper dicimus verūm, vel falsum; ergo opinari non est in nostra potestate. Confirmatur secundò ratione Philoponi; quia si volumus imaginari verū, verbī gratia Socratēm, vt est, non habemus ullam liberatēm imaginandi, vt volumus. Ergo pariter cūm opinamur, cū semper intendamus opinari verūm, nullam habemus libertatēm opinandi, vt volumus. Cōfirmatur tertio, quia iudicium quocdēquè de veritate rei, vt verūm sit, quale intendimus esse cūm opinamur, vñò tantum modò se habere potest; sed hic est necessarius; ergo. Maior patet, quia res vñò tantum modò se habet, ergo & iudicium, vt conformetur rei, seu vt sit rerum. Minor probatur, quia vt sit verūm, pendet solum à causa necessaria, & à independente à libertate, pendet enim ab obiec-

to, cui debet conformari.

Probatur secundò, quia opinari est adhærere vni parti contradictionis cum formidine oppositæ, sed hoc non est liberum quoad specificationem, ergo. Minor probatur, quia iudiciū intellectus est quidā assensus illius, sed omnis assensus intellectus est necessarius quoad spēcificationē; ergo, &c. Minor probatur, quia assensus intellectus, quoad spēcificationem causatur tantum à motiuis, seu argumētis rei, cui debet conformari; sed hēc necessario causant, seu independenter à libertate; ergo. Maior probabitur, quia non est assignare aliud, cur modò assentiam potius, quam dissentiam, modò dissentiam potius, quā assentiā, alias verò neque assentiā, neq; dissentiani, sed dubitē; nisi quia motiua, seu argumenta rei, cui debet intellectus iudiciū conformari, sic mouent; ergo confirmatur, quia assensus, qui sit opinio, sine sciētia, sine prudētia in hoc distinguitur afflictione, quod non ad libitum intellectus componit, sed ad exigentia rei, seu iuxta motiua rei; nam quantum ad libitū componit, non iudicat, quod ita res sit, quia quatenus iudicat, quod ita res sit, habet rationem, seu fundameatū.

motuum in re, ergo ut iudicat, quod ita res sit, causatur iudicium a rebus ita mouentibus, quae erat maior; iam minor est euidens, quia res in mouendo, necessario, seu independenter a voluntate mouent, ergo.

Probatur tertio, quia quicumque opinatur, dicit per intellectum verum, quantum potest; sed qui dicit per intellectum verum, quantum potest, necessario agit (quod specificationem semper loquitur) & non libere; ergo, &c. Maior patet, quia qui opinatur, putat se dicere verum; ergo dicit per intellectum verum, quantum potest. Minor probatur, quia qui dicit per intellectum verum, quantum potest, format iudicium, quantum potest, conforme obiecto, sed hic necessario agit, ergo. Maior est euidens minor probatur, quia qui format iudicium, quantum potest, conforme obiecto, necessario format illud, prout mouetur ab obiecto, sed obiectum mouet necessario, seu independenter a libertate (non enim loquimur de necessitate infallibilitatis, quae conuenit solum obiecto scientifico, quod necessario, infallibiliter mouet, sed de necessitate, quae opponitur libertate, quomodo obiectum omne mouet in-

tel-

tellectum necessario, quia non pendet a libertate, ut non moueat sic, vel sic, nam motua sunt in re, si non finguntur a nobis) ergo qui format iudicium, quantum potest, conforme obiecto, necessario format illud, seu independenter a libertate, quod est necessario opinari, quoad specificationem. Hinc patet illum, qui ad libitum format iudicium non omnino iuxta motus obiecti, ita ut si illa inclinant in hanc partem, & ipse inclinet per iudicium; si in neutram, quia non magis in hanc, quam in illam, & ipse in neutrā per iudicium inclinet, quod est dubitare (nam in utrāque simul, ut verum dicat, quemadmodum putat se dicere, qui opinatur, inclinare non potest, quia utraque vera esse non potest: potest quidem in utramq; successiū, modo hanc, modo illam, sed non ad libitum, sed iuxta motua, quę modo apparent maiora ex una parte, modo ex altera) qui ergo, ut dicebam, ad libitum format iudicium, seu non omnino iuxta motua obiecti modo explicato, patet, quod fingit, seu imaginatur, non opinatur, quia non putat se dicere verum, cū non conformet, se quantum potest obiecto mouenti:

C. 2

Pro-

De Opinionum Praxi

Probatur quartò , quia vniuersisque opinatur, prout res ipsius intellectu videtur vera , vel falsa ; sed videri non veram, vel falsam non pendet à nostra libertate, sed à motiuis, quæ mouent independenter à voluntate, ergo &c.

Probatur quintò , statim non est liberunt inclinari in unam partem magis, quā in alteram , sed ponderibus inclinatur necessario; sed non minus intellectus in iudicando determinatur, seu inclinatur à momētis rationum, seu argumētorum, siue intrinsecorum, siue extrinsecorum , nempè ab auctoritate, quam statim à ponderibus, ergo minor probatur , quia intellectus imittatur in iudicio res, quibus, vt verū sit iudicium, debet esse conforme; nam quia res est, vel non est, idēc propositio est vera, vel falsa; at res in mouendo intellectū, nō minus sunt independentes à voluntate, quam pōderā ad mouendam statim; habet enim ex se independenter à voluntate rationes, vel auctoritates tantū pondus, vel tātum; ergo, &c. Confirmatur, quia intellectus in iudicando de rebus, debet praecedere voluntatis imperium; ergo necessario agit antecedēs probatur , quia intellectus est di-

Disputatio.

19

dirigere voluntatē in agibilibus, ergo iudicium illius quoad specificationē debet praecedere huius imperium ; alioqui ad libitum dicemus verū falso, & bonum malū, & non iuxta rerum exigentiam. Confirmatur secundò , quia in actibus prudentiæ iudicium praecedit imperium, ergo.

Probatur sextò , motiua intellectus ad iudicandum de aliqua re, quæ solum sunt probabilia, vel eque illum mouent in utramque partem contradictionis , vel non æque , sed magis in unam quam in alteram; si primum, intellectus in neutram mouetur sufficienter ad opinandum , quia non habet sufficientia motiua ad iudicandū verā magis unam, quam alteram , quod est opinari, non habet in qua motiua sufficientia ad exigentiam rei , nam si ad libitum voluntatis iudicat veram magis unā quam alteram (utramque enim verā in contradictioni iudicare non potest) non putat se verū dicere sic componendo, adeoque non opinatur , sed fingit. Si igitur vult verū dicere, & conformare iudicium suum obiecto, tunc necessariò dubitat. Si secundum id est magis inclinatur ad iudicandum unam veram, quam alteram, tunc non

poteſt inclinari ad iudicandum veram alteram; quod probo: non minus necessario, ſeu independenter à libertate mouetur intellectus in maxima inclinatione, quæ ex totallis, & abſoluta, qualis eſt ſententiæ, quā mouetur in minori inclinatione, qualis eſt opinionis; quia cauſa, quæ mouet eſt tantū pondus rationis, vel auctoritatis, quæ non minus necessario, & independenter voluntate mouet ad aſſenſum minus firmum, quia nō minus mouet, quām quæ maximè ad aſſenſum firmitimum; ergo ſi in hac non poteſt inclinari in contrarium, neque in illa; ergo non eſt liberum opinari, patet hoc idem in exemplo ſtateræ, quia pondera, tam in ſtatera, quām intellectu, ſunt in rebus independentia à libertate, vnde ad minorem inclinationem mouent necessario minora, ſicut ad maiore naiora. Confirmatur, quia ſi ſecundum, qui in iudicando moueretur, ſeu inclinaretur intellectus à voluntate, ſecundum illud fingeret, & non opinaretur; ſicuti ſtatera ſi paulisper à manu moueretur, non estimaret, ſeu pōderaret res, vt ſunt, neque diceret verū, ſed fingeret. Confirmatur ſecundò, quia intellectus in intelligendo, eſt veluti pictor, qui efforſ

efformat rerum imagines, & quidem aliquādo eſt pictor, fingendo ad libitum iuxta illud, Pictoribus, atque poetis, quidlibet audiendi ſemper fuit æqua potestas; & tūc neque verū, neque falſum dicit, quia fingit, vt liber: ſic non diceatur falſa imago, imago Chimeræ, aliàs verò eſt pictor, imitando, ſeu exprimendo, vel vt vulgo dicitur, retrahendo; & tunc dicitur ſemper verū, vel falſum exemplar, ſive retractum, iuxta quod vel conformatur, vel non conformatur prototypo, & in hoc ſecundo caſu non eſt liber, ſed omnino debet ſequi prototypum; quod ſi nō ſequatur, ſed ad libitum voluntatis pingat, iā in eo nō imittatur, neque retrahit, ſed fingit, & retractum, qua retractum, in eo non dicit verū. Iam intellectus in iudicando de re, vel per ſcientiam, vel per opinionem, eſt pictor retrahendo, quia exprimit dicendo, ſeu enunciando, quod eſt in re, & nō ad libitū & dicit ſemper verū, vel falſum, verū ſi conformatur rei, falſum in eo, in quo non conformatur; nam ex Philosopho, ex eo quod res eſt, vel non eſt, propositio eſt vera, vel falſa; ideoque non eſt liber, ſed omnino debet ſequi re. Et hæc eſt ratio Philosophi textu de-

anima, suprà citato, quod opinari non est in nobis, quia necesse est dicere verùm, vel falsum, & sic, sequi obiectum, vt ei conformetur intellectus in iudicando ; obiectum autē est independens à libertate nostra, quoad esse, vel non esse, cui intellectus debet conformari in suo iudicio, & illud sequi, ideoque in tali iudicio intellectus non est liber, quod si non sequatur rem, iam fингit ad libitum, non retrahit, seu iudicat de re ; adeoque in eo, in quo sequitur motionem voluntatis, non rei, secundum specificationem actus, fингit, non iudicat, ex quo sic argumentor. Intellectus cum in componendo sequitur motionem voluntatis, non rei, fингit, non iudicat ; sed cum sequitur debiliorē partem ad modum, relicta fortiore, sequitur motionem voluntatis, non rei, ergo fингit, non iudicat, maior patet ; minor probatur ; quia cum res in duas contrarias partes mouet, in eam simpliciter solum mouet, in quam impellit fortius mouens, ergo si indebilius mouentem, qualis est minus probabilis, & mouetur intellectus per assensum, non rei motionem sequitur, sed voluntatis ; ergo fингit ad libitum, non iudicat.

Probatur septimò, si liberum esset opinari, maximè cum utraque contraria est æquæ probabilis, sed tunc non est liberum opinari, ergo. Major patet, quia tunc est maior indifferencia. Minor probatur, quia cum duorum neutrum habet maius signum, vel argumentum sui, quam alterum, si alterius eorum electionē facere oporteat, non dicimur ex opinione, sed ad sortem eligere alterutrum, vt experientia patet in duabus paleis paris exterius longitudinis, à digitis educendis, ergo tunc non datur simpliciter opinari, ergo non est liberum opinari. Confirmatur, quia si in dubio constitutus quis, viam interroget, in quā est iturus, & à duobus paris auctoritatis respondeatur de illa contrarium, ridiculum est affirmaret, hunc posse ex hoc præcise opinari, vel credere vni magis, quam alteri, non enim potest nisi dubitare, ergo.

Probatur octauò, si liberum esset opinari, sequeretur quod in dubio potest quis absque alia ratione tollente illud dubium, opinari quicquid liberet, & sequi illud in praxi. Cōsequens est absurdū, & contra omnes Theologos, vide Sanchez in Decal. lib. I. cap. 10, ergo sequela probatur, quia in propositionibus

bus contradictorijs, cum utramque pars habet vnum, vel alterum argumentum probabile, vel intrinsecum ex ratione, vel extrinsecum ab auctoritate, liberum est per te opinari, & sequi utramque, quia utramque probabilis est; at hoc est in dubio opinari, quodlibet, sineulla ratione tollente dubium, non minus, ac in quocunque alio dubio, ubi nulla ratio probabilis suppetit, ex utramque parte, ergo. Minor probatur, quia duas rationes mouentes aequae in partem oppositam non plus mouent, ac si nulla moueret, vt patet in duobus aequis mouentibus aliquod pondus; ergo tam est opinari, tunc unam partem, vt libet, in dubio, sineulla ratione tollente dubium, quana in eo dubio, in quo nulla est ratio; ex quo patet, multo minus esse liberum opinari eam partem; quam minus mouet; quia si in dubio non est liberum, neque licitum opinari partem, quam non mouet ad assensum, cum neutra mouet; multo minus erit liberum, aut licitum opinari unam partem, non mouentem, cum mouere contraria, sicut evenerit in magis probabili, & minus probabili; nam illa, non haec mouere poterit, vt patet in duobus trahentibus pondus in oppositum, quorum uno sit

sit validior alter, quia hic solum mouet. Probatur nono, quia si opinari esset liberum, possemus licet dicere malum bonum, & bonum malum; consequens est absurdum, ergo, Sequa probatur, quia malum est, quod non est ex fide, sed quod non est ex fide, possemus per voluntatem licet facere, vt esset ex fide, ergo. Minor probatur illud non est ex fide, quod omnibus pensatis non facit fidem sui, quod sit bonus, sed potius quod sit malum; sed hoc per voluntatem facere possemus licet, vt esset ex fide, ergo. Maior patet de se, & probatur, quia ille homo non dicitur fides, seu talis, cui possit praestari fides, qui sui profert argumenta, probantia potius, quod sit infidus, quam quod sit fidelis; ergo pariter illud obiectum non poterit esse tale, cui possit praestari fides, adeoque esse ex fide, quod omnibus pensatis profert motiva, seu probationes sui, facientia fidem, quod potius sit malum, quam quod sit bonum. Minor probatur, quia illud quod est minus probabile, quod sit bonum, & magis probabile, quod sit malum, profert plura motiva, facientia fidem sui, quod sit malum, quam quod sit bonum; sed tale possemus opinari, quod esset bonum, adeoque dicere, quod est

De Opinionum Praxi

Set ex fide; ergo. Idem valet de æque probabili, quod sit malum, & quod sit bonū; quare concluditur nunquam esse liberum opinari.

Probatur decimo , vel intellectus omnibus perpensis, tam rationibus, quam auctoritatibus assentitur alterutri parti , vel neutri, vel utrique; si primum, ergo nō potest assentiri alteri oppositæ ; quod probo; quia assentiri est iudicare veram esse , sed utraque non potest vera esse , ergo neque potest vera iudicari. Confirmatur ex Aristotele lib. 2. de anima t. 157. vbi hæc habet. Opinionē quidem sequitur fides; quippe cum fieri nequat, vt hisce quisque non credat , quorum habet opinionem : ex quo sic arguo; qui assentitur alterutri parti, opinando eredit illam veram esse; ergo non potest credere veram esse contrariam, cum utraque vera esse non possit, & sic neque credi; ergo si illud primum conceditur , quod intellectus alterutri parti assentitur, liberum non est opinari, sed necessariū: si vero secundum nempè, quod neutri assentitur, iam non opinatur, sed dubitat. Tertiū dici non potest , vt iam probauit; ergo à primò ad ultimum liberum non est opinari.

Dices per diuersa media assentitur utrique,

Con-

Disputatio.

23

Contra est, quia sicut utraque per diuersa media vera esse non potest, ita neque per diuersa media utraque credi potest. Antecedens probatur à Gregorio Arimin. q.2. prologi, à princ. vbi ostendit, & de se patet consideranti, propositiones contradictorias nō posse verifieri unam , etiam respectu duarum causarū ; quia alioquin tacet, ego possemus facere , vt duo contradictoria essent vera ; quod neque Deus, cum toto mundo potest facere: possunt quidem verificari respectu diuersorum , verbi gratia, diuersi temporis, seu diuersarum rerum, quæ in eodem toto reperiantur, & similia; sed tunc non sunt contradictoria; quare contradictoria nunquam verificari possunt; neque diuersæ causæ, aut in essendo, aut in intelligendo facere possunt, vt verificetur. Consequētia etiam probatur, quia id quod non potest esse , neque potest verum iudicari. Vnde Durandus in prologo quest. 1. num. 21. ait; estimare contradictionia simul esse vera , non potest esse in mente hominis, etiam si voce proferatur , vt habetur 4. Metaphys. Cum ergo intellectus assentiri non possit, iudicando utraque illarum propositionum contradictioriarum veram esse; si ha-

bebit duo media contrarium probantia, tūc vtrumque perpendet, & vel eadem est vis, & pondus respectu intellectus tām vnius, qui alterius medij, vel non est eadem vis; si primum, remanebit intellectus suspensus, & dubius, & neutri assentietur, & sic non habet opinionem; vel in ius notabiliter (nīm alioqui parum pronihilo reputatur) pondus est vnius; & sic inclinat ad alienum in istud, licet cum formidine oppositi, neque potest in contrarium, & sic est opinio huius, & non alterius. Quare stat, quod supra probabi in argumento quiatō, quod per pensis omnibus non est liberum opinari. Ex quibus omnibus satis manifeste, ut existimo, probatum est tā dictum nostrum, quam Aristotelis iuxta rationem ab ipso adductam, quod imaginari possumus, quando volumus non autem opinari; quia imaginari est fingere intellectum pro libito voluntatis, & componere ad ipsius imperium, sed opinari est non pro arbitrio fingere, sed examinare, & sequi momenta rationum, à quibus intellectus determinatur ad hoc, vel illud opinandum, ita ut non sit in voluntatis arbitrio. Quod si quis adhuc intellectu à rationibus determinato, & incli-

clinato in vnam partem, adeoque opinante, vult in praxi sequi partem contrariam, hic dissimilator est, & proditor perspicaciæ intellectus sui, & agit contra ipsum reclaman tem, quod est agere contra conscientiam, & contra opinionem, quā ex Aristotele textu supra citato, sequitur fides, ideoque peccat, quia secundum Apostolum, quod non est ex fide, peccatum est, & quia elegit magis sequi falsum, quām verum; neque ideo dicetur liber in opinādo, sed benē liber in agendo cōtra opinionem, & fidem propriā ex peruersa voluntate; nunc respondendum est argumētis initio in centrarium adductis.

Ad primum igitur respondeo distinguendo antecedens; sola demonstratione necessitatatur intellectus necessitate infallibilitatis, concedo, necessitate libertatis, seu quae negat libertatem, nego; quia in vtroque assensu dando secundum specificationem, pendet non à motione voluntatis, sed obiecti, quae est necessaria, & non liberata, & sic non est liber ad dandum hunc, vel illum, licet uterque assensus sit diuersus, quoad infallibilitatem, quare nego consequentiam.

Ad secundum distinguo maiorem, necessaria

faria est inclinatio voluntatis ad credendum loquendo de necessitate ad exercitium, cōcedo , de necessitate quoad specificationē, de quo hic disputamus ; nego, quia licet intellectus , quando credit, motiuis credibilitatis necessitatē ad credendum , ita ut non maneat liber ad credendum contrariū ; quæ est necessitas ad specificationem, quia tamen adhuc rem non cognoscit ex principijs proprijs, & intrinsecis, neque mouetur ab obiecto viso in se, seu in sua causa, quod est valde naturale ipsi , quia vniuersisque natura scite desiderat, ideo quod exerceat actum credendi , absque eo quod rem in se , seu ex proprijs intrinsecis principijs cognoscat, indiget voluntatis inclinatione , quia ad præstandum assensum, affirmātem, quod res ita sit , non habet adhuc perfectiorem modum, quem potest habere in ipsum tendendi , seu ipsum cognoscendi , qualis est per visionem intellectuā, seu per certam, & euidentē notitiam, imò quandoque ex principijs intrinsecis habet aliquam repugnantiam , seu difficultatem ad præstandum assensum, ad quæ mouetur ex principio extrinseco, seu ex auctoritate ; & sic simpliciter non præstaret assensum,

sensum , quia licet habeat sufficientia motiuia ad credendum, non tamen habet sufficientia motiuia ad assentiendum , quia defant motiuia perfectioris modi cognoscendi, quæ naturaliter requirit, vt alicui rei simpliciter assentiat. Inclinatio ergo voluntatis requirit ad exeritium actus fidei , quia intellectus non habet sufficientia motiuia , quæ requirit ad assentiendum secundum modum perfectiorem , quo res cognoscere naturaliter desiderat , licet habeat motiuia sufficientia ad credendum , qui est modus imperfectior cognoscendi secundum se ; nam discipuli credunt , magistri sciunt; unde quod sit contētus tali modo ; & sic præstet assensum , indiget voluntatis imperio . at verò quoad specificationem actus credendi , non requiritur, nec valet inclinatio voluntatis, quia si intellectus non habet sufficientia motiuia ad credendum , nunquam poterit à voluntate inclinari, vt credat; sed benè, vt fingat se credere; si autem habeat sufficientia motiuia, nō poterit per quodlibet voluntatis imperium discredere, vt ita dicam, seu credere contrarium. Quod ergo voluntas inclinet intellectum ad præstandum assensum fidei, tendens

do in obiectum modò quodam imperfectio-
ris notitiae, & non absolutæ, hoc est urbani-
tatis, sit enim in gratiam, seu reuerētiām di-
centis, & attestantis: nam naturaliter scire
volumus rem, seu videre, vt assensum de ea
præbeamus quod ita sit.

Ad confirmationem concedo auctoritatē
S. Thomæ, qui indubie loquitur de exerci-
tio actus, quod est liberum; non enim potest
sibi esse contrarius, ita vt velit modò liberū
esse assensum fidei, seu opinionis secundum
specificationem, modò necessarium, vt asse-
rit in suo commentario ad illum textum 2.
de anima, secutus auctoritatem, & rationē
Philosophi: imò hoc eodem artic. ad 2.vbi
aperte cum dicat credentem videre esse cre-
dendū, negat profecto, sicut in omnibus vi-
sis, libertatē specificationis. Vult ergo san-
ctus Doctor necessariū quidem esse assensum
fidei, seu opinionis quod specificationē, sed
liberū quo ad exertitiū; in eo autē talis assen-
sus differt ab assensu sciētifico, seu visionis,
quod in hoc non indiget intellectus inclina-
tione voluntatis, cū naturaliter, in assensum
inclinetur, quia vt dicit S. Doctor sufficiēter
ab obiecto proprio intellectus mouetur; quæ,

ratio

ratio subtilissima est, & diligenter attendē-
da. Nam cū intellectus ex suprà dictis natu-
raliter appetat rē scire, aut videre, quod est
perfectissimo modo cognoscere, nisi obie-
ctū sit visum, aut scitum, nō sufficiēter mo-
uet ipsum ad assensum, & licet habeat suf-
ficientia motiua ad assensum imperfectū, &
secundū quid, nēpè vt est credibile, seu op-
inabile, adhuc tamen non sufficienter monet
ad assensum simpliciter, vnde necessaria est
inclinatio voluntatis ad tales assensum i m-
perfectū præstandū, quæ intellectū quodam-
modo captiuat, seu ligat, ne ultra tendat, ad
hoc vt præstet assensum, ad cognoscendam
rem in se ipsa, vel ex principijs intrinsecis,
sed extrinsecis tantum sit contētus; & quod
hic sit sensus S. Doctoris, patet ex respon-
sione ad secundum, vbi dicit ea, quæ subsunt
fidei sub ratione creditibilis, esse visa creden-
ti, quia non crederet nisi videret esse credē-
dum: iam quæ sunt visa, necessitant ad spe-
cificationem, ergo in credendo secundum
mentem S. Doctoris intellectus quo ad spe-
cificationem necessitatur, nō tamen quo ad
exercitium, ad quod remanet liber, imò in-
diget, vt dixi, inclinatione voluntatis, natu-

D 2

rali-

De Opinionum Praxi

raliter enim tendit ylterius ad notitiam euidentem, quæ proinde inclinatio non requiriatur ad actum scientificum, ad quem natura litar inclinatur, & ab obiecto proprio sufficienter mouetur. Iam verò sic inclinatus intellectus à voluntate, ad credendum nō fagat ad arbitrium, quia habet ad sic credendū sufficientia motiuā; fingeret autem si nō sufficientia motiuā haberet ad credendum, seu opinandum magis vnam partem, quam alteram, sed crederet, seu opinaretur ad libitum, quia tunc non iudicaret, seu estimaret rem secundum momenta rationum, sed ad arbitrium componeret, quod est fingere, pēto enim cur magis vnam partem opinaris, seu credis quam alteram? si dicis quia placet; ergo ad arbitrium tuum opinaris hanc veram, alteram falsam; cum vtraque vera esse non possit, ergo fingis illam sic esse, nā ratio nulla est, cur ita iudices, sed potius ex momentis rationū iudicare deberes vtramque dubiani; si autem dicis, quia illa habet maiora motiuā, iam non à voluntate, sed à motiuis rei fit inclinatio. Certissimè igitur patet inclinationem intellectus à voluntate solum fieri, quoad exercitium actus fidei, & op-

Disputatio.

27

opinionis, non autem quoad specificationē eiusdem, & hoc solum velle ibi S. Thomā. Aduerte autem, quod imperfēctum dixi as sensum fidei quoad modum tendendi, qui est sine euidentia, non autem quoad mediū, quod potest esse perfectissimum, & medio ipsius scientiæ certius, atque perfectius, sicut patet in fide diuina; sed de his alibi.

Ad tertium concessio antecedente pro nūc, nam quādo dubium possit licetē deponi, dicetur inferius, nego consequentiam; quia neque scrupulus, neque dubium sunt opinio, & sic nihil contra nos.

Ad quartū negatur consequentia; quia nō quæcumque probabilitas sufficit ad opinandum, vt infrā patebit; quia opinari est iudicare rem veram cum formidine; at vtraque contradictionia non potest esse vera, adeoq; nec iudicari vtraque vera, siue cum formidine, siue sine formidine; vna igitur ex contradictionijs solum vera iudicari potest, est que necessario illa, quæ fortiora habet argumenta veritatis.

Obijcies primū, si esset necessarium opinari secundum specificationem, omnes eodem modō opinarentur, consequens est fal-

D.

G. m.

sum, ergo & antecedens. Sequela probatur, quia necessitas specificationis in iudicando oritur ab obiecto, sed hoc necessario mouet eodem modo: ergo omes eodem modo mouebit, & sic omnes eodem modo opinabuntur.

Respondeo negando sequelam; ad probationem, distinguo minorem, si proponatur obiectum intellectui, & proponatur eodem modo, necessario mouet, & eodem modo, concedo; si non proponatur, aut diuerso modo proponatur, necessario mouet, & eodem modo, nego; modo obiectum non proponitur intellectui aliquando, aut non eodem modo; & hoc, vel quia intellectus non applicatur à voluntate ad exercitium, ut consideret obiectum cum ea diligentia, qua pars est, in quo est peccatum voluntatis; & tunc non omnes rationes, quas oporteret attendi, aut considerari ab intellectu, considerat, & attēdit, & sic temere, ac præcipitanter iudicat, & opinatur differenter ab eo, quod opinaretur; si diligenter examinaret motiva obiecti, vnde est dictum Philosophi; quod ad pauca respicientes, facile enunciant; aliquando etiā voluntas propter aliquā affectionem est cau-

sa,

sa, cur intellectus sit minus dispositus ad intelligendum, & propter propensionem voluntatis in ynam partem, intellectui magis fortia appareant illius partis motiva, quæ sic non apparerent illa affectione sublata; quia iuxta eundem Philosophum, prout quisque affectus est, ita iudicat, aliás verò nō ex culpa voluntatis, sed ob debilitatem intellectus seu crassitatem, vel ignorantiam, non ita aduertit, & distinguit omnes rationes in obiecto, quæ à subtiliori intellectu aduertuntur, & distinguuntur; & ideo tales intellectus habentes debet regulari ab ijs qui perspicacioribus intellectibus sunt prædicti; sicut in oculo corporeo, qui acutiore visu sunt prædicti, discernunt, quæ ab alijs non discernuntur, & eos docent vnde est illud sacri Oraculi, ut aduertit Maior, q. 2. prol. in 4. Boues orabant, & asinæ iuxta illos pascebantur. Vnde non excusantur à culpa, qui dedita opera indoctiores, & crassiores, & minus accuratos cōsulunt in casibus difficilioribus, quia vt inquit Dominus, si casus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Apparet ergo causa diuersarum opinionum; sed nihil contra nos.

Obiecties secundò ex Ricardo loco suprà citato : libertatem habemus applicādi intellectum ad considerandum magis vnam partem cōtradictionis, & rationes ipsius, quam alteram ; & sic inueniemus, quādoque rationes fortiores ad opinandum, quas nōn inuenissemus, ac proinde, nec opinati essemus illam partem , nisi intellectū magis applicassemus ; ergo saltem in quibusdam habemus libertatem opinandi magis vnam partem, quam alteram , & sic libertatem specificatio-
nisi.

Respondeo distinguendo consequens; ha-
bemus libertatē specificationis , seu ad opini-
nandam magis vnam partem, quam alteram,
in quibusdam per se , & ratione ipsius speci-
ficationis actus, nego: quia semper determi-
natur intellectus à motiuis ad assentiēdum,
vel dissentientium, vel dubitandum, nec po-
test alites, quam illa moueant, opinari: habe-
mus libertatem specificationis in quibusdā
per accidens, & ratione exercitij actus, quod
est liberum, quia applicatio intellectus quā-
doque iuuat ad inuenienda fortiora motiua,
quæ causēt assensum, qui non fuisset causa-
tus illis per diligenter applicationem non
int̄

inuentis, concedo: sed nihil contra nos, quia istavere , & per se est libertas exercitij , per accidens autem , & ratione huius; & solum consecutiū specificationis, possumus autē, imò decet uti tali libertate ad applicandum intellectum ad inuenendas rationes magis pro vna parte , quam pro altera, in quibusdā pr̄sertim speculabilibus, ad ingenium exer-
cendū , in quibus S. Thomas hanc talē libertatem opinandi concedit, non autem in moralibus , aut etiam in quibusdam agibili-
bus indifferētibus, quæ possunt benè , & ma-
lē fieri , vel omitti , in quibus ne videamur per iudicacis iudicij , vel propter obsequium superioris à subditis debitū , vel propter re-
uerentiam grauius alicuius personæ , vel ob comitatē erga amicum , possumus , & de-
bemus applicare intellectum , ad inuenien-
das rationes magis pro vna parte, quæ facile
inueniuntur , vt accōmodemus iudiciū no-
strū, iudicio alterius ; quomodo etiam verū
est illud in secundo argumento positum, vt
dicebam modo ex S. Thoma, cum agitur de
rebus ad mores spectantibus , in quibus est
peccandi periculum , vtriusque partis ratio-
nes,

nes, cùm debita diligentia examinare tene-
mur, vt verùm, quantum in nobis est, asse-
quamur.

QVÆSTIO III.

*Vtrum possit, quis viramque partem contra-
dictionis opinari.*

PR o Intelligentia quæstionis, aduerte: sup-
ponere me hic ex iam dictis, opinati nil
aliud esse, quām assentiri alicui propositioni,
iudicando illam ita esse, cùm formidine ta-
men alterius oppositæ, formidando scilicet,
ne opposita vera sit: igitur qui opinatur, af-
sentitur alicui propositioni, & iudicat illam
ita esse, seu veram esse, huic, verbi gratia. Cā-
bium recursus est licitum: cùm autem omnis
propositio habeat suam contradictoriā pro-
positionem, vt propositio iam data habet
suam, quæ est huiusmodi. Cambium recursus
non est licitum, & hæ duæ appellantur con-
tradictoriæ, & quælibet illarum sit pars con-
tradictionis; quæritur hic à nobis, vtrum,
Physice loquendo, possit quis opinari vnam

partem contradictionis, seu vnam contradic-
toriam, & pariter opinari alteram contra-
dictoriam, quod est querere, vtrum possit
vtrique assentiri, cùm formidine oppositæ.
Est ergo huiusmodi Quæstio Physica; non
enim adhuc querimus, vtrum liceat morali-
ter, seu in foro conscientiæ opinari vtramq;
sed vtrum possit naturaliter intellectus vtrā-
que opinari. Nam deinde procedemus hinc
ad definiendum, vtrum liceat hoc ipsum mo-
raliter.

Prima sententia est, posse intellectum opi-
nari vnam partem contradictionis, ex prin-
cipijs intrinsecis de ea iudicando; nimirū
ex causis, aut effectibus, aut adiūtis, aut cō-
sequentibus arguendo; alteram vero contra-
dictionis partem opinari etiam posse, non
tamen ex principijs intrinsecis, sed ex prin-
cipijs extrinsecis, nimirū ex aliorum au-
toritate. Ita videtur docere Vazquez p. 2.
quæst. 19. art. 6. disp. 62. cap. 3. n. 10. & Azo-
rius, cùm eo tom. 1. instit. moralis lib. 2. cap.
16. q. 2. & 3. & c. 17. q. 7.

Probatur. Potest quis per intrinseca prin-
cipia habere assensum huius, siue hanc opi-
nari. Qui eligit minus dignum, pratermissio
dig.

De Opinionum Praxi

digniori, debet digniori restituere damnum, quod ei intulit. Oppositæ autem contradictioniæ huic, non potest habere assensum per propria principia, quia sicut non potest in re verificari contradictionis, ita neque per intellectum iudicari: at potest haberi assensus oppositæ per principia extrinsecæ, hoc modo assentiendo, seu enunciando. Probabilis est opinio, quæ dicit, non esse restituendum aliquid digniori, qui in electione prætermisus fuit.

Secunda sententia est Sanchez in Decalogum lib. 1. cap. 9. num. 12. vbi duos præfatos autores impugnat, asserens etiam, per intrinseca principia posse intellectum utramque partem opinari, seu utrique assentiri.

Probatur, quia non repugnat ex eisdem principijs, diuersimode intellectis, seu applicatis contrarias opiniones oriri; adde tu, si placet, ex diuersis principijs intrinsecis eiusdem rei non repugnat contradictionis opiniones oriri, & ab eodem intellectu illas contrarias opiniones probabiles existimari, ergo tunc assentietur utriusque parti contradictionis, non quidem certam existimando, sed probabilem, quæ non est contradictionis.

Di-

Dicendum: non posse intellectum utramque partem contradictionis, neque ex principijs intrinsecis, neq; ex extrinsecis, opinari.

Est Gregorij quæst. 2. prol. art. 1. Durandi in prol. quæst. 1. n. 21. vbi etiam citat Aristotelem 4. Metaphys. Adde S. Thomam, vt nunc probabimus.

Probatur primò: nullo modo per diuersa quælibet mediæ res esse potest, & non esse, ergo neque per diuersa quælibet media ab intellectu iudicari potest, quod sit, & non sit, ergo non potest intellectus utramque contradictionis partem opinari. Antecedens probatur: quia alioqui tu, & ego facere possemus, vt Petrus esset, & non esset, at hoc neq; Deus facere potest, cum toto mundo. Vide supra præcedenti questioni, neque opus est multum immorari, quia ipsenact Vazquez citato 1. asserit hoc esse manifestum, & Sanchez non negat: vide cap. 9. num. 12. Confirmatur ex S. Thoma quodlib. 8. art. 13. Quād sunt duas opiniones contradictionis de eodem, opertet alteram esse veram, alteram falsam: ergo ex S. Doctore non potest quis opinari utramque veram, quia nemo potest opinari, quod impossibile est esse, & ille scit esse impossibile.

Ad

Ad argumentum primæ sententiæ respondeo, illos auctores cùm bona eorum venia in suo argumento, æquiuocationem committere, & in suis dictis non nihil secum ipsos pugnare; & quidem, vt in dictis Vazquez id manifestum fiat; ecce cum iam dixisset ille num. 10. vt autem repugnat ex proprijs principijs habere assensum vtriusque partis contradictionis; ita non repugnat habere assensum vnius partis per propria principia, & oppositæ partis per extrinseca principia, hancenius ille nonne in his affirmare videtur expressè, opinari nos posse vtramque partem contradictionis, per intrinseca vnam, per extrinseca alteram? Ita sanè; atque ita Sanchez huiusmodi dicta intellexit. Aduerte deinde quid dicat; subdit enim; verbi causa, potest quis per intrinseca principia habere assensum huius partis, qui eligit dignum prætermisso digniori, debet digniori restituere dñnum, quod ei intulit; oppositæ autem partis, per proptia principia, non potest habere assensum: potest tamen per extrinseca iudicare oppositam partem esse probabilem; sed hic assensus non est de opposita contradictioni; non enim est de hac, qui eligit minus dign.

dignum prætermisso digniori tenetur, digniori restituere dñnum; sed de hac, probabile est non teneri restituere, quæ non est opposita. Sic ille: ergo, inquam ego, nihil probatum est; modo enim volébas probare devtraque opposita posse esse assensum, vnius per extrinseca, alterius per intrinseca, qui per intrinseca vtriusque esse non potest; & cum vis hoc probare, probas esse assensum de duabus, quas dicis non esse oppositas: recte igitur infert Sanchez nō probatum fuisse à Vazquez discrimen vllum quod sit inter hæc duo, quod fiat assensus, siue ex intrinsecis principijs, siue ex extrinsecis, quod tamē probare debebat: nam si vult probare solum in non contradictorijs, quales illæ duæ propositiones adducet; qui eligit minus dignum, prætermisso digniori, tenetur huic restituere dñnum, & probabilis est opinio nō teneri, si vult, inquam probare, in his posse quem vtrique præbere assensum, verissimum est; sed in huiusmodi, assensus præstare potest vtrique parti, etiam ex intrinsecis principijs; non enim repugnat, esse rationes probabiles intrinsecas pro vtraque parte contradictionis; sed quia magis sunt probabiles pro.

vna, quām pro altera , opinabitur quis vnā, nempē illam , quæ probabilioribus nititur, adhuc tamen censebit probabilem contraria; nam quid quāfo repugnat? non enim contradictori; sunt huiusmodi assensus , vt ipsem Vazquez testatur ; possum enim assentiri vnam esse veram , alteram contradictoriam esse probabilem: nam probabile nō aduersatur verò , & potest esse falsum, quia etiam multa falsa sunt probabiliora veris, non igitur repugnat huiusmodi assensus ; si autem vult probare , idem Vazquez , quod probare velle videbatur , in contradictorijs posse vni præstare assensum per intrinseca, alteri per extrinseca, hoc minime probat.

Ad argumentum secundū respondeo; non minus grauiter & quiuocari Sanchez (sit etiā cum bona venia viri grauissimi , & sapientissimi) nam aliud est, posse intellectum præbere opinatiuum assensum vtrique parti contradictionis , aliud posse utramque partem contradictionis iudicare probabilem; & pri-
mum quidem: nullo modo potest, potest au-
tem secundum: nam præbere assensum opini-
atiuum vni parti contradictionis, seu vnam
partem opinari, est iudicare illam esse verā,

quān;

quañquam cum formidinem oppositæ, nam assensus opinatiūs est iudicium probabile, quod res ita sit, verbi gratia, cum dicitur hec propositio; Qui eligit minus dignum, prætermisso digniore , tenetur huic dannum restituere , ille qui præstat huic propositioni assensum opinatiūm , iudicat probabiliter, seu iudicat cum formidine, illam veram esse, & hic contradictoriū non potest iudicare probabiliter esse verani , sed oportet, vt probabiliter iudicet , seu opinetur esse falsam ; quod recte Sanchez ipse aduertit , & confitetur, quia sicut duq; contradictorię vere simul esse nō possunt, ita neque potest intellectus iudicare ; siue per assensum probabilem , siue per necessarium, illas veras esse, sed si assentitur vni, tanquam vere, oportet, vt alteri dissident, tanquam falsæ. At verò iudicare propositionem probabilem, non est præbere illi assensum opinatiūm , siue probabilem ; idq; propter multas rationes ; nā primo , possum iudicare vnam propositionē esse probabilem , per assensum scientificū, quia scio medium , quo illa probatur nō esse necessarium, sed tantum præhabile, & contingens; & vt plurimum ita accidit in mora-

De Opinionum Praxi

libus, quod scimus propositiones huiusmodi esse probabiles tantum; quare tale iudicium, seu talis assensus, quo indicamus illā esse probabilem propositionem, non est opinatiuus, sed scientificus. Secūdo, possum habere dissensum opinatiuum de aliqua propositione, eo quod existimem illam fīllam, & tamē iudicare quod sit probabilis; quia ut iam dixi, cū probabili stat falsū; igitur non idem est, imò valdē diuersum præbere assensum opinatiuum, seu probabilem alicui propositioni, & iudicare illam probabilē, quod tamē confundit Sanchez, primo; dum dicit, num. 12. quod potest intellectus vtramque probabiliter existimare, & sic vtramque opinionum esse probabilem: nam hoc dico ego; non idem est esse vtramque probabilē, & probabiliter existimare, seu assentiri vtrique. Secundō, dū vult impugnare Vazquez, negantem ex principijs intrinsecis posse præberi assensum opinatiuum vtrique parti contradictionis, impugnat enim per hoc, quod vtrāq; pars potest iudicari probabilis, at hoc longē diuersum est ab illo, neq; probat quicquam contra illud; sed neque Vazquez bene aduerit dilectimen inter hæc duo iudicare pro-

Disputatio.

34

propositionem probabilem, & assensum opinatiuum præbere, quod si fecisset, non commisisset illam aequiuocationem, quam supra vidimus. Non possum etiam non aduertere, in eo non exacte locutum Sanchez eo loci, quia cum dixisset, eundem intellectum vtrāque probabilem iudicare posse, subdit. Nec id est duabus contradictorijs assentiri cum intellectus non affirmet vtramque esse certam, sed vtramque partem esse probabilem. Nam dico ego, vt assentiatur quis duabus contradictorijs, non requiritur, vt intellectus affirmet vtramque esse certam, sed sufficit vt affirmet vtramque esse verā, licet adhuc non certam, sed tantum probabilem, quia implicat vtramque veram assitonari, etiam si non certa, sed tātum probabilis, modo vtrāque vera, affirmetur.

Ad argumentum igitur Sanchez informa, respondeo, concedendo antecedens: nimirū posse intellectum iudicare probabilem vtrāque contradictionis partem, sed nego consequiam, nimirū posse vtramque opinari, seu vtrāque præbere opinatiuum assensum, quia opinari non cadit suprà probabilitatem propositionis, ita vt iudicemus cum

E 2

for-

De Opinionium Praxi

formidine propositionem esse probabilem, nam hoc scimus, ut suprà dixi, sed cadit suprà veritatē propositionis, ita vtiudicemus, cum formidine esse verā, hoc enim in moralibus, ut plurimum opinamur. Verbi gratia, quòd probabilis sit ista, cambium recursæ est licitum, nō opinamur, sed scimus, quia scimus habere hæc propositionem rationem aliquam non leuem, & habere insuper autores satis graues hanc asseremus, sed quod vera sit hæc eadem propositio, cambium recursæ est licitum, hoc est, quod opinamur, quia noa nisi cum formidine hanc veram putamus: cadit igitur opinari super veritatē propositionis, non super probabilitatem; adeoque longe diuersum est iudicare propositionem probabilem, & iudicare propositionem veram; & potest quidem idem intellectus, ut ponit Sanchez in antecedente iudicare vtramque contradictionis partē probabilem, sed nō potest vtrique, præbere opinatiuum assensum, quæ erat consequentia: nam opinatiuum assensus cadit super veritatem; vtramque autem veram opinari non possumus: & vidè quæso, quanti referat, hoc non aduertisse, quia inde grauiissimus error

se;

Disputatio.

35

sequitur; si pro eodem sumantur; nám cum, ut vidimus in prima quæstione, necesse sit, ad hoc ut quis licet agat, habere opinatiuum assensum de hoc, quod actio sit licita, ac proinde de hoc non quod probabile, sed quod vera sit ista propositio, hæc actio est licita, nam hic ex dictis est opinatiuum assensus, qui querrebatur, idque à Sanchez ipso, alijisque omnibus conceditur; cumque nō possit quis habere opinatiuum assensum de hoc, quod vera sit propositio ista, hæc actio est licita, & pariter habere opinatiuum assensum de hoc, quod vera sit etiā ista, hæc actio non est licita, quia vtraque contradictoria vera esse non potest; sequebatur, quod qui habet opinatiuum assensum de una parte, nempè quod vera esset ista, actio hæc sit verbi gratia, cambiū recursæ, non est licita hanc solū sequi posset in praxi, non autem alteram, de qua non potest habere assensum opinatiuum, quod sit vera, nempè actio hæc, ut cambium recursæ est licita, idque tenebantur autores etiam isti concedere consequenter loquendo: nunc vero quia potest quis iudicare vtramque probabilem, idem autores pro eodem accipientes hoc secundum,

E 3

at-

De Opinionum Praxi

atque illud primum, nempè censentes idem esse iudicare vtramque probabilem, & præbere assensum opinatiuum vtrique, quod est longe diuersum, & fuit erroris occasio; nam assensus opinatiuus, vt vidimus, non super probabilitatem, sed super veritatem propositionis cadit, at verò iudicium quo iudicamus vtramque probabilem non super veritatem, sed super probabilitatem propositionis cadit, estque non opinatiuum, sed scientificum iuxta supradicta; propterea censuerunt pariter vtramque posse licite ad proximam deduci: Quod si recordati essent, non posse ullam propositionem ad proximam deducit, seu licite practicari, nisi opinetur quis verā esse propositionem, quod talis actio sit licita, quod iam concesserant, vt patet ex nostra prima quaestione, & simul aduertissent, non posse quem opinari verā vtramque contradictionis partem, nempè veram esse hanc quod talis actio sit licita, & veram pariter hanc, quod talis actio nō sit licita, quod vltro tā Vazquez, quam Sanchez concedunt, nunquam concesserant vtramque contradictionis partem, quia probabilis est, posse licite practicari; nam adhuc requirebatur etiam

sc-

Disputatio.

36

secundum ea, quæ ipsi concesserant, vt non tantum probabilis, sed vt vera iudicaretur, quamquam cum formidine, seu probabiliter, quod iudicium de vtraque contradictione esse non potest. Äquiuocatio igitur, & causa, vtputo, erroris est, pro eodem accipere hæc duo longe diuersa, iudicare vtramq; cōtradicторiam probabilem, & iudicare probabiliter vtramque cōtradicторiam veram, nam primum fieri potest, non secundum, & primum non erat illud, quod sufficeret etiā secundum dicta aliás ab aduersarijs ad opinandum, & sequendum in praxi aliquā propositionem. Sed hoc ultimum melius ex dicendis patebit.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum ad opinandum aliquam propositionem, & ad sequendum illam in praxi, sufficiat esse quouis modo probabilem.

Aduerte differre multum hanc questionem à prima, licet eadem, vel per similis vi-

E 4

deca-

De Opinionum Praxi

deatur, nam in prima, quæ situm est, an sufficiat opinari, vel certum esse opòrtet de honestate actionis, quām quis exercere debet, ad hoc vt honeste operetur; in hac autem queritur, quid sufficiat ad opinandum, honestam esse seu licitam actionem; nam plerique existimant sufficere, quod probabile sit, illam esse licitam, alij vero illud negāt, quia stat esse probabile talem actionem esse licitam, & esse æque probabile, imò etiam probabilius non esse licitam, quare tunc in controvesso est, vtrum probabilitas sola, quæ ex una parte est, sufficiat ad opinandum, quod sit licita, ac proinde ad sequendum illam in praxi; & quia alia quædam hinc nescuntur dubia, quæ solui disputando debent, nempè à dato, quod vtrumque sit probabilis, opinari ciceat, & sequi partem vtranique, aut dato, quod una sit probabilior, hæc sit necessario eligēda, & alia huiusmodi, ne confundamus multasimul, in hac quæstione solum querimus, an sola probabilitas qualisunque alicuius propositionis sufficiat ad hoc vt illam opinemur, & in praxi licite sequamur, qualiscumque in qua probabilitas modo sit infra latitudinem, probabilitatis qualis est;

Disputatio.

inquit Sanchez in Decal.lib. i.cap. 9.num. 6. cum adeat ratio alicuius momenti ita tam, vt pro opposita parte, nil cōvincens sit.

Prima sententia est, sufficere, quod aliqua propositione sit probabilis, vt illam opinari, & licite sequi possimus.

Est multorum recentiorum, quos citabimus infra, cum de probabiliore agemus.

Probatur primo, quod est certum in se, seu habet infallibilem, & necessariam cōexionem gignit indicū certū: ergo quod est probabile, seu quod habet cōexionē apparenter cùm fundamento veram, licet fallibilem, gignet iudiciū probabile; ergo sufficiet ad opinandum: nam opinio nil aliud est, quā iudiciū probabile de veritate alicuius propositionis; ergo si probabilitas sufficiet ad opinandum aliquam propositionē, exempli gratia, quod cambium recursū sit licitū, sufficiet etiam ad licite in praxi sequendum.

Probatur secundo, in moralibus non habetur, vt plurimum certitudo ex alibi dictis, ergo sufficiet probabilitas ad opinandum, & agendum.

Probatur tertio, opinio probabilis tollit dubium, sed quando non est dubium de contra-

De Opinionum Praxi

trario, potest quis licite agere, ergo sufficit probabilitas ad opinandum, & ad licite agendum.

Probatur quarto, in speculatiis licet opinari, & defendere propositionem, modo illa sit probabilis, ergo & in ijs, quæ ad mores spectant.

Secunda sententia negat sufficere ad opinandum, & licite in praxi sequendum, probabilitatem solam alicuius propositionis.

Est S. Thomæ superius in prima questione allegati, vbi negat, licere in opinionibus contrariis opinari, & sequi unam partem, si à motiis alterius intellectus inclinetur in alteram: ergo probabilitas sola, quæ est in una, non sufficit huius S. Doctoris iudicio. Est etiam omnium illorum quos, & quidē plures, citauimus infra, qui assertū sequendam semper esse partem magis probabilē, dę quibus agemus, cum de hoc.

Aduerte istam questionem duas partes habere: Prima est, an sola probabilitas alicuius propositionis sufficiat ad opinandum. Secunda est, an sufficiat ad licite in praxi sequendum. Aduerte etiam nos pro nunc probabile accipere eo modo, quo supra explicau-

Disputatio.

38

nimas cum Sanchez initio huius questionis, & propterea in titulo opposuisse utcumque probabile, nam infra de eo aliquid exactius patebit in sexta questione nostra.

Dico primo, non sufficere ad opinandum, quod aliqua propositio sit probabilis.

Probatur primo, ad hoc vt quis opinetur aliquam propositionem oportet, vt illi præbeat probabile assensum, verbi gratia huic canonibum recursu est licitum; sed ad præbendum illi probabilem assensum, non sufficit, vt proprio sit probabilis, ergo. Maior est eidens, nam est definitio opinionis, quod sit probabilis assensus; minor probatur, quia non repugnat, quod probabilis propositio habeat oppositam contradictorie propositionē pariter probabilem, immo potius consequens est; sed vt sic habens oppositam probabilem & collata cum illa, non potest illi præberi ab intellectu probabilis assensus, ergo. Minor pariter probatur, nam maior est certa. Non potest intellectus præbere probabilem assensum alicui propositioni, quando habet in contrarium æqualia, seu fortiora motiua, sed tunc haberet æqualia motiua, si esset æque probabilis, & fortiora, si probabilior, & potest con-

tin-

tingere, ergo &c. Maior est evidens ex supradictis in secunda questione, nam intellectus in assentiendo etiam probabiliter, seu in opinando hoc potius, quam illud, non pender a voluntate, sed a motiuis, & necessario agit: ergo non potest assentiri, cum æqualia sunt motiua, quia sic non esset ratio: cur magis assentiretur vni parti contradictionis, quam alteri, & sic deberet assentiri utrique, quod est impossibile ex dictis in tertia questione, vnde neutri assentiatur necesse est; neque assentiri potest huic, cum sint fortiora ex opposito, quia determinatur à motiuis, & non est sibi liberum opinari ex dictis supra, ergo, &c. Minor argumenti est evidens, & sic patet consequentia.

Dices, sufficit probabilitas ad opinandum; quod sit probabilis, non quod sit vera.

Respondeo, probabilitatem sufficere ad opinandum, quod sit probabilis, neque verū est, neque facit ad rem. Non est verum quia probabilitas non facit, ut opinetur probabilis, nam hoc scimus, non opinamur, quia scimus, medium, seu rationem esse aliquius momenti, & esse falabilem, & contingenter, vnde non opinamur esse probabilem, sed

Sed scimus, neque facit ad rem, quia querimus quid sufficiat ad opinandum, seu ad præbendum assensum probabilem alicui propositioni, & hic assensus probabilis, est de veritate propositionis, non de probabilitate, ex supradictis, sicut enim propositione necessaria generat assensum necessarium de veritate eiusdem, ita probabilis propositione generat assensum probabilem de eiudicandi veritate. Quare me opinari hanc propositionem; Cambium recursus est licitum, eis me præbere assensum probabilem veritati huius propositionis, quam veram existimo, quamquam cum formidine, nam probabilem esse non existimo, cum formidine, sed scio. Vide igitur ne iterum equivoceris. Aliud enim est, ut dixi superioris, propositionem iudicari à me probabile, & aliud me præbere illi probabilem assensum, nam primum iudicium, seu primus assensus, est necessarius, & scientificus, secundus vero probabilis, & opinatius, & cum hic præbetur propositioni, non probabilis per huc, sed vera cum formidine iudicatur: iudicare autem veram cum formidine, non est iudicare probabilem, nam possum iudicare probabilem, & iudicare cum formidine falsam, & possum

De Opinionum Praxi

iudicare utramque probabilem, sed non possum iudicare utramque etiam cum formidine veram; nam duæ contradictoriæ, neque cum formidine, neque sine formidine possunt vñquam iudicari veræ. Sit igitur menti infixum, & ne æquiuocemur, vt multi Doctores fecerunt, aliud esse, aliquam propositionem esse probabilem, & aliud me præbere illi assensum probabilem, quod est illam opinari, seu probabiliter iudicare veram, & ex primo non potest inferri secundum, quia stat aliquam propositionem, seu opinionem à me iudicari probabilem, & tamen iudicari falsam, neque posse me illam opinari verā, quia habeo fortiora motiua, vt falsam opiner, & in opinando ex dictis necesse est me sequi motiua, quæ sunt in re ipsa à voluntate independentia.

Dico secundo, non sufficere, quod aliqua propositio spectans ad mores sit probabilis, ad licite sequendam illam in praxi.

Aduerte me apposuisse illa verba, spectas ad mores, quia vt videbitur in responsione ad argumenta: discrimen est inter propositiones spectantes ad mores, & mere speculatiuas in ordine ad complextendum illas,

&

Disputatio.

40
& hoc egregie docuit Sanct. Thomas citato opusculo.

Probatur primo: nulla propositio spectans ad mores, quæ eligenti sit opinata falsa in praxim licite deducibilis est; sed aliqua propositio probabilis, spectans ad mores, eligenti est opinata falsa; ergo aliqua propositio probabilis non est licite deducibilis in praxim; ergo non sufficit, vt sit probabilis, ad hoc vt sit licite in praxim deducibilis.

Maior patet, quia qui sic ageret, ageret contra conscientiā, & contra fidē propriam, quod autem non est ex fide, peccatū est. Minor etiam patet, quia sicut aliqua probabilis, eligenti est opinata vera, ita contradictoria illi est opinata falsa, quia ex duabus contradictorijs etiam existimatis probabilibus, necesse est vñā esse veram, alterā falsam, vt patet de te, & ex S. Thoma opusculo sèpè citato; ergo si opinor vñā verā, necesse est me opinare alterā falsam. Neque dicas, opinor, seu iudico cū formidine utramq; verā, quia contra sic. Impossibile est, vt iudicē, siue cū formidine, siue sine formidine aliquid esse, quod certo iudico nō sic esse, sed certo iudico non esse contradictionē utramque verā; ergo non

non possum, siue cum formidine; siue sint formidine iudicare utramque veram; ergo si cum formidine iudico unam determinatè veram, necesse est, ut cum formidine iudicem alteram, determinate falsam. Eodem modo, etiam ampliando maiorem propositionem sic potest argumentari. Nulla propositio spectans ad mores, quæ eligenti sit non opinata vera, est licite deducibilis in primum, sed aliqua propositio ad mores spectans, quæ est probabilis, est eligenti non opinata vera; ergo non est licite deducibilis in primum. Major est certa, & conceditur ab aduersariis, qui afferunt oportere, ut is qui agit ad hoc, ut agat honeste, opinetur hanc propositionem; exempli gratia: licitum est exercere Cambium recursu, nam si non opinatur haec propositionem veram, non opinatur licere Cambium recursu, & sic non potest exercere; vide Sanchez illo cap. 9. p. 1. in Decal. n. 18. vbi concedit requiri ad honeste operandum iudicium probabile, seu opinionem, quod hoc sit licitum, licet in fine eiusdem numeri confundati iudicium probabile, quod hoc sit licitum, cum iudicio, quod probabile sit hoc esse licitum, quæ ut dixi sunt valde discre-

discrepantia iudicia. Minor verè huius nostri secundi argumenti etiam patet; multæ enim probabiles propositiones aliquibus non sunt opinatae veræ, cum tamē adhuc ab ijsdē iudicentur probabiles, nam de duabus probabilibus inéqualiter, opinantur veram illā, quæ multo fortiora habet motiu. Quare videlicet manifeste, non sufficere ad hoc, ut aliqua propositio spectans ad mores sit licite deducibilis in primum, seu practicabilis, quod sit solum probabilis; ergo quod probabilis sit propositio, siue sit probabilis ab intrinseco, siue ab extrinseco, hoc enim nihil refert, ut de se patet. Et argumenta modo facta, idem probant de utramque probabilitate, quod inquam, sit probabilis propositio, non est ratio sufficiens, ad hoc, ut sit eligibilis, seu practicabilis.

Potes etiam pro maiori claritate, & finiori firmitate sic consicere argumentum. Nulla actio est eligibilis licita, nisi eligenti sit opinata licita, sed aliqua actio opinata licita alijs, siue quam licitam esse probabile est, non est opinata licita eligenti; ergo aliqua actio opinata licita alijs, siue quam licitam esse, probabile est, non est licite eligi-

De Opinionum Praxi

bilis. Maior est aduersariorum, vt videre est apud Sanchez loco modo citato; minor experientia constat: sequitur igitur manifeste, & necessario conclusio, quod aliqua actio opinata licita alijs, atque adeò quam licita esse probabile est, non est eligibilis licite; & hoc dico non quasi eligibilis, non sit per accidens ex conscientia erronea eligentis, sed quia per se eligibilis licite non est, quia licet opinata aliquibus, & probabilis, attamen ex contrarietate opinionis alterius, aut probabilitate contradictoriæ, vel æquali, vel etiā multo maiore, non est illa potens generare assensum probabilem, sed vel dubitabilis eit, si æque moueat, vel opinabilis tantum falsa, si minus moueat intellectum, ad præbendū, sibi confessum. Non igitur sufficit probabile esse aliquam propositionem, ad hoc vt licite eligatur; vnde vides, quod quicumque, concedit, sicut concedunt omnes aduersarij, vide Sanchez cap. 9. num. 18. probabilem assensum habere debere illum, qui agit, quod licitum sit id, quod agit, concedere non potest, si vult consequenter loqui, quod omnē probabilem propositionem, seu opinionem aliorum, possit sequi; quia non omni probabili

Disputatio.

42

bili propositioni, seu opinioni aliorum potest quisque præbere probabilem assensum, nam si contraria opinio, seu propositio negas hoc esse licitum, sit æque seu magis probabilis, quam sit illa, quæ affirmat esse licitum, intellectus non potest præbere assensum probabilem, quod sit licitum, sed vel dubitat, cum èque mouetur, vel præbet assensum, quod nō sit licitum, cum magis ab hac parte mouetur, quia ex supradictis, & ex Philosopho opinari non est liberum; hanc contradictionem aduersariorum peto mihi solui, & forte soluetur à meliori iudicio.

Probatur igitur secundo, conclusio nostra ex concessis ab aduersariis sic.

Ad hoc vt licita, & honesta sit actio humana, oportet, vt de eius honestate saltem probabilem assensum habeamus, verbi gratia, quod hæc sit vera, cambium recursus est licitum, sed si solum hæc sit probabilis, & eius opposita sit æque, vel magis probabilis, non possumus habere huius probabilem assensum; ergo si solum sit probabilis aliqua propositio ad mores spectans, non potest licite in proxim deduci; maior conceditur ab omnibus, & ab ipsissim aduersariis, vt patet

De Opinionum Praxi

tet ex prima nostra quæstione. Minor probata est suprà manifeste, & est Aristotelis, quia liberum non est opinari; sed ex motiuis sit assensus, quæ si sint paria, vel maiora ex altera parte, non potest inclinari intellectus in contrariam. Consequentia currit.

Probatur tertio, si per hoc, quod propositione est probabilis possum illam exercere in praxi, seu practicare, sequeretur, quod possem exercere in praxi id, quod nullo modo probabile est verum, seu licitum; consequens est absurdum; & contra temetipsum; ergo; &c. Sequela probatur, quia licet probabilis sit utramque contraria, tamen probabile non est, modo hanc veram esse modo illam, modo hanc licitam, modo contrariam ad libitum cuiusque; sed ego per te, ex eo quod utramque est probabilis, possum sequi, & exercere in praxi modo hanc, modo illam ad libitum; ergo possum sequi, & exercere in praxi id, quod nullo modo probabile est, esse verum, seu licitum nam modo, hanc modo illam esse veram, seu licitam, nullo modo est probabile.

Ad argumenta in contrarium respondeo.
Ad primum, distinguo primum consequens,

Disputatio.

43

quens, quod est probabile, gignet iudicium probabile, si non obstat contrarium, æque vel magis inclinans, seu mouens intellectum, concedo: si obstat, nego; sicuti pondus unius libræ in una parte stateræ inclinabit stateram, si ex altera parte nihil obstat; at si obstat pondus unius pariter librum, aut librum duarum ex altera, non inclinabit, sed vel suspensa manebit, si æque moueatur, vel inclinabit in alteram, si magis; sic intellectus ex Sylvestro verb. opinio, si æque, vel quasi æque moueat à duabus oppositis partibus, dubius, & suspensus manet, & ex S. Thom. citato sapè opusculo, si ex diuersis, & cōtrarijs opinionibus moueatur, quis propter argumēta earūdem, & in dubitationem incidat, non potest licet operari; vbi vides S. Doctorem supponere stantibus opinionibus contrarijs dubitationem oriri posse, imò vt plurimum oriri propter motiua, quæ si æqualia, aut fere æqualia sint, non potest yllo modo, etiam Physice loquendo, non oriri, imò neque potest tolli in talibus motiuis; nam opinari nō est in nobis.

Ad secundum distinguo consequens, sufficiet probabilitas, quæ mouere possit intellectum.

De Opinionum Praxi

Ie^ctum ad assensum probabilem in vnā partem, concedo; & sic solum etiam concessa est ab aduersarijs in prima quæstione nostra, licet deinde non meminerint datae sententiæ: sufficit quævis probabilitas, nego; imò cum in moralibus, etiam pér te fere sit solum probabilitas, adeoque pars falsa habere possit etiā aliquā probabilitatem; si omnis probabilitas sufficeret, non solum confuse falsum, & verum, licitum, & illicitum absque delectum approbabitur, cum vtrumque sit cùm probabili, sed etiam, vt plurimum deterior pars eligeretur, quia deterior pars, vt potest laxior, magis accommodata est corruptæ hominum voluntati.

Ad tertium opinio probabilis tollit dubium, distinguo hanc maiorem: opinio mea tollit dubium meum, concedo; opinio aliorum tollit dubium meum, nego; imò ex cofratijs opinionib^s æquè mouentibus intellectum oritur dubium; non enim potest intellectus vni assentiri: neque hoc dubium, quod tu dices speculatum, potest tolli per iudicium aliquod practicum, verbigratia, per illud, quod ego possum in praxi sequi opinionem probabilem; non potest, inquam, nam

Disputatio:

nam ista, vt iam probabi, non est ratio sufficiens, imò est falsa; neque potest tollere dubium, imò remanet; quod probo, quia cum dubium est in materia motum, an aliquid licet, vel non licet, exempli gratia, cambiū recursæ si solum licet, quia de eo est probabiles opinio, iam non minus licitum, quam illicitum licebit eligere; nam etiam de eo est probabilis opinio, quod sit illicitum, & unde habet intellectus affirmare, quod amplectatur magis licitum, quam illicitum, cum æque moueat ab argumentis vtriusque; si ergo licet eligere, non magis cognitum licitum, quam cognitum illicitum; ergo cum dubitat intellectus licitum ne sit, vel illicitū potest agere vtrumque; quid enim impedit? Nam, rogo, vel in dubio de licito, vel illicito, licet agere, vel non; si primum, ergo in dubio etiam pratico licebit agere, quod tu negas, imò quod omnes negant. Si secundū, cum probabilis opinio de licito, non tollat dubium de illicito, siquidem alia est æque probabilis de illicito, neque sit maior ratio assentiendi vni quam alteri, imò neque posit Physice intellectus assentiri potius vni quam alteri, durabit dubium, cum ratio sufficiens

ad tollendum non sit posita , & sic quisquis; cū illo aget, peccauit ; & hoc benè aduerte, quod est desumptum à S. Thoma assenrente, quod si ab opposita parte moueatur, æque scilicet, aut quasi æque, peccauit quicumque sic aget; ita pariter docet Toletus in su m. de sept. pecc. mort. c. 20. & alij multi de quibus infra.

Ad quartum respondet S. Thomas citato loco, negādo paritatem; quia in speculabili bus, cum nullum sit periculum diuinę offensę, siue lādendæ honestatis, vnuſquisq; e abundare potest in sensu suo ; at non sic in materia morum.

Respondeo secūdo, quòd defendere quidem potest quis partem probabilem, exercendi ingenij gratia, sed non opinari, si altera sit æquæ probabilis.

Respōdeo tertio argumentum nimis probare, quia cum probabile ex vtramque parte non tollat dubium de licito , seu de illicito, vt suprà dixi, etiam in dubio practico liceret operari, quod nullus dicit.

QVÆSTIO V.

Vtrum licitum sit sequi minus probabilem partem, relicta probabiliore.

PRIMA Sententia est licere amplecti , seu eligere etiam minus probabilem, probabiliore relicta; est multorum Theologorum huius ferè saceruli , nam ex antiquioribus vix aliquem , aut legi ipse, aut citatum ab alijs, qui legerint, reperio. Catalogum ipsorum satis longum legere potest , apud Thomam Sanchez cap. 9. lib. 1. in Decal. num. 14. contraria tamen existimant etiam probabilem.

Probatur primo. Qui habet iudicium probabile de aliqua re , quod sit licita , prudenter , & honeste operatur , sed qui sequitur opinionem probabilem quantumvis minus probabilem altera , habet hoc iudicium ; ergo, &c.

Probatur secundo. Sequens opinionem ; seu propositionem probabilem , non est imprudens , neque temerarius , neque malus, sed qui amplectitur minus probabilem , est huius.

De Opinionum Praxi

huiusmodi; ergo, &c. Minor de imprudētia, & temeritate probatur, quia ille tantum dicitur imprudēs, & temerarius, qui aliquid agit, sine ratione, & causa probabili. De malitia etiam probatur, quia illæ actiones hominis sunt bonæ, ac proinde ab illis denominatur idem bonus, quæ diriguntur à prudentia; ergo, &c.

Probatur tertio. In propositionibus speculabilibus licet absque erroris, seu deceptionis periculo probabilem propositionem, seu opinionem amplecti; ergo pariter in moralibus tandem licet amplecti absque peccandi periculo.

Probatur quarto. Deus non obligat nos ad impossibile, sed in moralibus non possumus eligere, & sequi certo scita; ergo sufficit, ut eligamus, & sequamur probabiliter opinata. At opinio minus probabilis adhuc est propositio probabiliter opinata; ergo potest licet eligi.

Probatur quinto. Intollerabile onus es-
set, & multis scrupulis expositum si opinio-
nes probabiliores inuestigate teneremur; er-
go sufficit se qui minus probabiles.

Probatur sexto. Qui sequitur minus pro-
babiles

Disputatio.

46

babilem opinionem, non agit contra con-
scientiam, sed is solum, qui operatus cū con-
scientia dubia, aut certo dictante aliquid es-
se peccatum; ergo non peccat.

Probatur septimo. Qui minus probabilem
sequitur, non se exponit periculo peccandi
formaliter, ita vt illi peccatum imputetur,
sed tantum periculo faciēdi id, quod est ma-
terialiter peccatum; ergo non peccat. Ante-
cedens probatur, quia qui prudenter agit, nō
potest illi imputati peccatum, at ex dictis
qui probabilem sequitur, prudenter agit; er-
go, &c.

Probatur octavo. Possum duas contrarias
opiniones censere probabiles; ergo possum
licet vtramque sequi. Consequentia proba-
tur, quia vt licet sequar, sufficit iudicium
probabile.

Probatur nono. Ex Vazquez in 1. 2. disp.
62. quæst. 19. Possum per extrinseca princi-
pia, nempe auctoritate aliorum opinari con-
tra proprium iudicium; ergo licet ego ma-
gis probabilem hanc opiner, possum per ex-
trinseca principia sequi alteram, quam opini-
onem minus probabilem.

Probatur decimo. Ex eodem ibidem, sub-
ditus

ditus cōtra propriam opinionem parere debet praeposito præcipienti, si nouerit ipsum præcipere secundum opinionem probabilem, quām putat se, posse sequi; sed tunc ageret contra propriam opinionem, & sequeretur illam, quæ sibi videtur minus probabilis; ergo possumus licetè aliquando sequi minus probabilem, & agere licetè contra nostram opinionem, at si aliquando; ergo semper, cū non sit maior ratio, cur sequamur opinionem superioris, & non alterius viri docti, & probi.

Secunda sententia est, non esse licitum minus probabilem partem amplecti relictā probabiliore; est Aristotelis aperte, & Peripateticorum communiter, vt ostendimus q. 2. & infrā etiam melius patebit; est S. Augustini 2. de Doctrina Christiana, & refert cap. in Canonicis d. 19. cuius verba infrā citabitur in probationibus assertionis nostræ; est S. Ioannis Chrysostomi, siue Auctoris Imperfeci in Matth. cuius tamen Auctoritas grauis, est apud Theologos, & sapè ab illis citatur; at enim hom. 44. in cap. 23. Si vestimenta empturus, gyras unum negotiatorum, & alterum, & ubi meliores vestes inuenieris,

&

& pretio viliori ab illo comparas. Quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, vbi sincera veritas Christi venundatur, & vbi corrupta, & veriore eligere plusquam vestimentum; & superius dicit tales esse inexcusabiles, si errant in fide; at S. Thom. opusculo sapè cit. quoad fidē & mores vult pariter examinandas esse opiniones. Est S. Thomæ opusculo 8. art. 13. vbi vult, cū sunt contrariæ opinions licere sequi vnam, modo non habeat ut opinio de contraria; & modo non inueniatur aliquid motiuum ad opinandum cōtrariam, & ad dubitandum de sua, quæ omnia dicti manifestant relinqui non posse probabiliorem; & est ita evidens in hoc sententia S. Doctoris, vt omnino pertinax, sit in suo errore, qui id negauerit; nam Adrianus, & Cordubensis, qui hanc sequuntur, explicant quædam dicta S. Thomæ, quibus videtur assertorem etiam, quām sit ista, sequi viam; vide ipsos, l. inf. citandis, est Scoti 4. d. 11. quest. 6. vbi ait: Cū multo probabilior, sit pars negatiua, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo scilicet affirmatiuam, minus probabilem. Ioannis Maioris 4. sentent. quest.

quæst. 2. prolog. conclus. 3. & 5. & contra 5. conclusionem versus finem, vbi latè ac misericorde pro hac sententia pugnat. Gabrielis 4. Decal. 15. q. 8. art. 13. dub. 2. vbi citat Ioannē Cancellarium Parisiensem in regulis moralibus, vbi ponit taleni regulam; agere incertum, & dimittere certum in materia morale, est peccatum mortale, & specificat eam addens, si tale sit incertum, quod sit mortale, non solum per coniecturas leues, aut suspicione trepida, & scrupulosa, proueniente ex nimio timore cadendi in via Dei, sed intelligitur, dum est tale vehementer, & probabiliter incertum, æque sunt sicut oppositum, vel magis, tunc enim illud, quod agitur, nō carebit peccato mortali: hæc Gerson. Nūc autem subdit Gabriel in proposito suæ quæstionis, ibi: *Quòd scilicet habere plura beneficia extra quosdam casus iam ab eo recensitos, sit peccatum mortale, est sententia plurium sanctorum, & famosorum Doct. etorum, concordans sacræ Scripturæ, & Patrum Canonibus, quām ciuius oppositum, licet superius dixerit varias in hoc esse opiniones Canonistarum; ergo hic, nempè habens plura beneficia, non excusat à mortali,*

li, vbi vides ipsum non solum in probabilitate, sed in æque probabili opinare, cum in una est peccandi periculum censere, non posse quem probabiliore relicta sequi minus probabilem, sed nec æque probabilem posse; sed certam, & tutam, in qua non est peccandi periculum, tunc esse sequendam. Præterea adducit, ibi pro hac sententia S. Thomam, & S. Antonium, est Henrici Gandauensis, quodlib. 4. quæst. 33. ait enim: Si peritus vir nouit statum Doctoris, qui sententiat contra partem periculosam (nempè in qua potest esse peccatum, si ponatur in actu) habere omnes bonas conditiones prædictas, aut plures ex eis, quām aliis (nempè qui sententiat pro parte periculosa) nouit etiam rationes eius esse efficaciores, & expreſſiores auctoritates, quas adducit: iste proculdubio exponens se illi periculo, moraliter peccat; quia quod agit non est ex fide, siue conscientia, sed contra dictamen conscientiæ, & rationis rectæ; est Conradi de contractib. q. 100. Præfertim cum dicit, si causæ adhærendi opinioni dānanti actum sunt magis prægnantes, tunc sic agens, agit contra conscientiam reclamantem, & peccat; est Antonij Cordubensis lib. 2. quæ-

quæstionarij, q. 3. vbi pariter citat Adrianū in 4. de restitutione; & Corduba sic habet agendo contra rectam rationem peccatur, sed agens cōtra probabilitati opinionem, agit contra rectam rationem, quia agit contra rationem, & auctoritatem, cui reniti non licet; nam ideo est probabilius opinio, quia rationabilius, & quia validioribus innititur rationibus, & fundamentis, quibus naturaliter cōvincitur illius intellectus, ut huic parti potius, quām oppositæ assentiat, est Sylvestri verb. dub. est Toleti in summ. de sept. pecc. mort. c. 20. vbi recēsitis opinionibus Docto- rū contrarijs, vñā, quæ est magis cōmunis tenēdā afferit, quia in rebus dubijs nō debet se homo exponere peccandi periculo: est Pauli Comitoli in resp. moral. lib. 5. q. 19. est Na- uarri Manual. c. 28. à num. 285. vbi cum dicat non esse in delectu opinionum attenden- dos plures numero, qui sequuntur tanquam oues aliq alias, sed existimare se communio- rem illā quām sex, vel septē auctores clasi- ei rem ex professo tractantes afferunt, quām probatam à quinquaginta sola auctoritate aliorum ductis, quod ante dixerat Maior l. cit. prol. illis verbis: Non semper habendus est

est oculus ad multitudinem dicentium, sed sapientiam cum numero considerabis, quia sicut duos, vel tres debiliotes valet unus fortis, sic unus oculatus, materiam diligenter inquireus, tres alios inferiores valet, ideo post præfatos pro hac sententia citatos, tantos ac tales, quorum plerique sunt capi- ta sectarum, & anguli sententiarum, à pluri- bus congerendis, quæ non desunt, etiam no- stri temporis auctoritatibus supersedeò.

Aduerte primo pro intelligentia, licet ex iā dictis ferè sit manifestum, probabile ar- gumentum illud dici, quod est generatum opinionis de veritate rei, de veritate inquā, nō autē de probabilitate, quia esse aliquid probabile non opinamus, sed scimus ex eo, quod argumentum, seu medium ad proban- dum certo cognoscimus non habere néces- sariam connexionem cum extremis, sed fan- tammodo cōtingentem, hoc igitur scimus, & nō opinamus. Argumentum igitur, quod scimus esse probabile, & per quod scimus re esse probabilem, non generat in nobis opi- nionem de probabilitate rei, cū ut dixi pro- babilitas sciatur, sed de veritate rei; & in hoc distinguitur ab argumēto necessario, seu de-

De Opinionum Praxi

monstratiuo, quod hoc est generatiū scien-
tiā de rei veritate, seu quod res ita sit, & im-
possibile sit aliter se habere ; illud verò est
generatiū tantum opinionis de veritate
rei, quod ita sit, sed cum formidine oppositi,
nempè quod non ita sit, seu falsitatis ; itaque
Opinio non est assensus quo iudico rem pro-
babilem, quia talis assensus, quo iudico rem
probabilem, vt dixi, est scientificus, & non
cum formidine, vt est Opinio, & potest esse
assensus, quo iudicem rem probabilem, &
tamen opiner falsam, vt sàpè contingit, non
igitur est talis assensus opinio, sed est assen-
sus, quo iudico rem verā, seu propositionem
aliquam veram, licet cum formidine oppo-
siti, seu ne sit falsa; & hoc diligentissimè ad-
uertendum est, & inculcandum, quia facilis
est aquiuocatio, & grauis lapsus, vt suprà di-
ximus. Iam verò illud erit magis probabile,
quod erit magis inductiuum in opinionem
de veritate rei, & illud minus probabile,
quod minus inductiuum in eādem. Et quia
opinari non possumus, quod duæ contradi-
ctoriæ propositiones simul sint veræ, vt su-
prà probatum est ; neque liberum, aut in
potestate nostra est, opinari illam partem,
quam

Disputatio.

quā volumus, vt pariter súptà probauimus,
Ideò vnam ex duabus opinari necesse erit,
& illam quæ habet magis inductiuua argu-
menta in opinionem de veritate, qualia sunt
magis probabilia. Imò quia minus probabi-
lia argumenta per se, & secundum considera-
ta, inductiuua quidem sunt in opinionem de
veritate rei, at considerata in comparatione
magis probabilium, non sunt inductiuua in
taleni opinionem, quia cum ista inductiuua
magis sint, ac proinde intellectus, qui nec
opinari potest utramque cōtradictoriā esse
veram, nec potest opinari, quām vult, sed il-
lam ex necessitate, in quām magis induci-
tur, & mouetur, vt probatum est súprā, à mi-
nus inductiuis respectu horum induci non
possit, ac proinde in comparatione magis
inductiuorum minus inductiuua inducerē nō
possint in opinionem de veritate, ideò secor-
dum quidem, & secundum se probabilia ap-
pellari possunt : comparatiuè autem mini-
mè, quia non sunt amplius in opinionem in-
ductiuua.

Aduerte secundo, opinio es aliorū respe-
ctu opinionis, quām in generare in nobis de-
bent de veritate rei, non esse nisi probabilia

De Opinionum Praxi

argumenta, ducta est auctoritate extrinsecā; quæ tantam vim habent, quāta est grauitas, seu pondus veracitatis eorum, quorum sunt opinione; vnde ut argumenta etiam ipsa probabilia opinionem in nobis ingenerare poterunt, secundum quod sunt magis grauiia, & inductiua in opinionem, quare plura, & grauiora magis inducent, quam pauciora, & minus grauiia.

Aduerte tertio, nos nō posse sequi in praxi, seu amplecti pro voluntatem, & exercitium operis licetè aliquam opinionem, nisi opinemur etiam ipsi de veritate rei, quia si opinaremur ipsi rem, seu propositionē, quam amplectimur, esse falsam, quamvis opinati essent alij esse veram, & sic procederemus ad opus, peccaremus, quia contra propriā conscientiam ageremus. Quod enim non est ex fide, peccatū est: neque deponere possumus opinionem nostram, opinando contrariam, quia opinari non est liberum, aut voluntariū ex iam dictis? sed necessarium ex motinis inducentibus ad opinandum, siue illa sint extrinseca, ut auctoritates, siue intrinseca, ut rationes, quare si auctoritates, seu rationes magis nos moueant in ynam partem, nullo modo

Disputatio.

§ i

modo moueri possumus ex voluntate nostra in alteram; imaginari quidem possumus ex voluntate alteram partem, vt sāpē contingit, sed non opinari, ut recte Aristoteles, & nos suprà; possumus etiam opinionē, quam habebamus, seu quam haberemus ex motiuis intrinsecis, deponere propter auctoritates in contrarium, tam validas, ut antefaramus pondus earū nostris motiuis, sed tunc propter extrinseca motiua, iam opinamur contrariam, quam non opinaremur attentis solis intrinsecis.

Aduerte quarto, sicut duæ sunt propositiones cōtradicторiæ, ita duas esse possunt opinione contrarias Doctorum, quarum una sit pro parte affirmatiua, altera pro negatiua: quare quod dicitur de partibus duarum propositionum contradicторiarum, idem dic de partibus opinionum Doctorum, nam ista pariter, atque propositiones ipsæ examinanda sunt in ordine ad hoc, ut quisque opinetur de rei veritate, quia ut dixi pro veritate cognoscenda tam probabilia sunt argumenta, que vocantur intrinseca, nempe rationes, quam extrinseca nempe auctoritates, & ut neque secundum pondus, quod habent ma-

De Opinionum Praxi

ius intellectum mouent ad opinandum ; & quidem de examine , ac discretione opinionum contrariarū inter se facienda , & doctrina S. Augustini, de qua infrā ; est etiam Nazuari loco supr.citat. & ante illum Maioris loco ibidem citat.his præmissis , quæ per se certa , ac dilucida videntur , & vel superius probata sunt , vcl infrā etiam confirmabuntur. Dicendum est cūm auctoribus secundæ sententiæ , non esse licitum minus probabilem partem amplecti , relicta probabiliore.

Probatur primo , auctoritate , & ratione Philosophi , à quo incipio , quia illius fundamentum , tanquam ex intimis visceribus rei deducitum , aliarum etiam rationum in hac materia fundamentum est. Opinari in nobis non est , seu non est nobis liberum opinari ; sed si licet possemus sequi pattem minus probabilem , esset nobis liberum opinari ; ergo non possumus licet sequi minus probabilem. Major est Philosophi , & sufficienter à nobis probata questione secunda . Minor probatur , quia si possumus licet sequi minus probabilem , possumus ita opinari veram minus probabilem , sicut magis probabilem ; ergo esset nobis liberum opinari ; antecedens

pa-

Disputatio.

52

pater , quia nō possumus licet sequi , nisi quā possumus opinari veram , nam quod non est ex fide , seu quod non credimus , aut opinamur licitum esse , peccatum est ; ergo oportet , vt veram opinemur partem contradictionis minus probabilem , verbi gratia hanc : licitum est habere plures præbendas . Confirmatur ex aduersariorum confessione , assertum , ad hoc , vt licet quis agat , necesse est , vt habeat iudicium probabile , seu vt opinetur , quod honestum est illud quod agit , vide Sanchez prol. Decal. cap. 9. num. 18. ergo necesse est opinari veram hanc , quam vult sequi. Honestum seu licitum est , verbi gratia , habere plures præbendas . Confirmatur secundo , quia si non possemus opinari veram tam illam , quam volumus sequi , quam illam , quam relinquimus , conuinceremur amare , & sequi magis falsum , quam veram . Igitur verissimum est illud antecedens , quod iterum repeteo , si possemus licet sequi minus probabilem , possemus ita opinari veram minus probabilem , sicut magis probabilem ; tunc consequentia currit ; ergo liberum nobis est opinari , nempè utrumque , seu utramuis contradictionis partem ; at hoc est contra Phi-

G 4

lo-

Iosophum euidenter, & contra manifestas rationes à nobis suprà allatas quæst. 2. ergo à primo ad yltimum, & contra Philosophum est, & contra rationem, quod licet quis possit sequi partem minus probabilem.

Probatur secundo, ex concessis ab aduersarijs; ad hoc vt quis prudenter, & rectè operetur, debet habere probabili iudiciū, quod licetum sit illud, quod operetur, sed qui sequitur minus probabilem, non potest habere hoc probabile iudicium; ergo, &c. Maior est euidentis, & à Sanchez, cum ceteris loco citato conceditur, minor est Aristotelis, quia probabile iudicium idem est, ac opinio, seu opinari; opinari autem non est liberū inquit Philosophus, sed sequitur plura, & fortiora motiua; & in minus probabili, nō sunt plura, & fortiora motiua, sed in magis probabili; ergo minus probabilem, nō potest, quis opinari, seu habere probabile iudicium de illa, Iam consequentia currit; ergo non potest, quis sequi minus probabilem.

Probatur tertio, ad hoc vt licetè agam, nō sufficit in iudicijs practicis, vt sequar, quod iudico probabile, sed necesse est, vt sequar, quod opinor verum, sed non est in mea liber-

bertate, vt opinor veram vtramque, nec vt opinor veram, quām volo, sed necesse est, vt opinor veram, quæ habet fortiora motiua, qualis est magis probabilis; ergo necesse est, vt sequar magis probabilem, ad hoc vt licetè agam. Minor patet ex Aristotele, & sèpè superius est probata. Maior pariter probata est, & nunc etiam probatur, addendo nōnulla, vt magis veritas huius assertionis elucescat. Quia cum vtraque opposita est probabilis, necessario vna illarum est vera, & altera falsa, sed non possum promiscuè sequi tam verum, quā falsum, & multo minus possum sequi, quod magis rationabiliter falsum existimo, nam sic conuinceret tam amare falsum, quām verum, imò magis falsum amare, quām verum; ergo non sufficit, vt sequar probabilem, quia probabilis est tam falsa quā vera; ergo si aliqua est opinabilis vera, quia habet fortiora motiua necesse est, ad hoc vt rectè agam, vt sequar, quām opinor veram. Confirmatur eadem maior ex concessione aduersariorum, quia vt patet ex Sanchez illo cap. 9, numer. 18. ad rectè operandum necessarium est iudicium probabile dictans hoc opus, seu hanc rationem

De Opinionum Praxi

nem esse licitani; ergo non sufficit iudicium dictans probabile esse, hoc esse licitum: sunt enim hæc duo iudicia valde diuersa. Primo, quia iudicium dictans probabile esse hoc esse licitum, non est iudicium probabile, seu opinatiuum, sed est scientificum: nam certo scitur hoc esse probabile per hoc, quod nimirum probabili fundamento, at iudicium dictans hoc esse licitum, est solum probabile, & opinatiuum, quia non certo scitur hoc esse licitum, sed est in opinione tantum, at tu ò Sanchez, & vos ò cateri quærebatis iudicium opinatiuum dictans hoc esse licitum; ergo non sufficit vobis illud iudicium scientificum dictans probabile esse, hoc esse licitum, sed ulterius habere oportet illud opinatiuum dictans hoc esse licitum, quod est dicere necesse esse habere iudicium opinatiuum de veritate huius, hoc opus est licitum, non de probabilitate, nempe probabile est hoc esse licitum; ergo oportet non tantum iudicare probabilem esse illam propositionem, quod scitur, sed opinari veram, quod statim in opinione versatur. Secundo, diuersa sunt illa duo iudicia, quia cum iudicio scientifico, quod sit probabile, illud esse licitum, stat etiam

Disputatio.

54

etiam quod habeam iudicium pariter scientificum, quod probabile sit illud idem esse illicitum, quia iudicium de probabilitate, est de re, nō vt est, sed vt apparet; potest autem apparere per unū quidē mediū licita, per aliud illicita; quare stat simul hæc duo iudicia, quibus iudico certissimè probabile esse, quod sit licitum, & probabile esse, quod sit illicitum, & cū his nondū iudico de veritate, an sit licitum, vel illicitum, sed solum de apparentia, cū quā stat adhuc dubium de veritate, & tanū stat esse licitum, quam illicitum, vnde cum stet cum iudicio de probabilitate opus tam esse licitum, quam illicitum, nō possum cum tali iudicio progredi ad opus, quia non minus illicitum, quam licitum eligerem, & adhuc iudicando, sic probabile utrumque sum in dubio an liceat, quia iudicium de probabilitate stat cum dubio de veritate. At vero cū iudicio opinatiuo, quod tale opus sit licitum, non stat, quod opinari pariter esse illicitum, quia ex probatis alibi, & vt per se patet, non possum opinari aliquid esse licitum, & pariter esse illicitum, quia sicut hoc nullo modo esse potest, ita neque opinari quisquam illud potest, & hæc est magna differentia iudicij de

De Opinionum Praxi

de probabilitate rei, & iudicij de veritate rei; nam probabilitas, seu apparentia potest esse utriusque partis contradictionis, nam per diuersa media diuersimodè res apparere potest, modo vera, modo falsa, at secundum veritatem rei uno tantum modo esse potest. Cum igitur non possim opinari simul aliquid esse licitum, & illicitum, quisquis habet iudicium opinantium de aliquo opere, quod sit licitum, non potest habere de eo aliud pariter opinantium, quod sit illicitum: & sic cum opinetur solum esse licitum, potest progredi licite ad opus, quod non potest facere ille, qui iudicat solum probabile esse, quod sit licitum, quia hic pariter iudicare potest probabilem esse, quod sit illicitum, & sic adhuc esse dubius de licito, vel illicito, quare probata remanet illa maior, quam supra probare nitebamur, quod non sufficit, ut licite agam iudicare, probabile aliquid esse, sed optere etiam, ut opiner verum, & sic concludit nostrum tertium argumentum.

Probatur quarro, sic ille non licite agit, qui non sequitur dictamen rationis, sed qui sequitur minus probabilem, non sequitur dictamen rationis; ergo, &c. Minor probatur ille,

ille, non sequitur dictamen rationis, qui non sequitur inclinationem rationis, seu intellectus ad assensum, quod hoc sit faciendum, vel non faciendum, sed qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliore, non sequitur inclinationem ad assensum; ergo, &c. Maior patet, quia dictamen rationis est inclinatio eiusdem ad assensum, siue illa inclinatio, & assensus sit cum certitudine, qualis est in scientia, siue eum formidine, qualis est in opinione: nam dictamen rationis est, etiam iudicium probabile, ut concedunt aduersarij, quod sufficit, quia si non sufficeret, nihil agere possemus; nam agibilia, seu moralia, non habent certitudinem; inclinatio ergo ad assensum, etiam cum formidine, est dictamen rationis, quia illud dictat ratio faciendum, ad cuius assensum sufficienter inclinatur, ex motiis rationabilibus, neque inclinati potest in contrarium, quia opinari non est liberum, ut probatum est, neque est aliud assignare, quod requiratur ad hoc, ut ratio dicatur dictate probabiliter, nisi ut inclinetur ad dandum assensum, quod hoc sit faciendum. Iam verò minor illa, quod qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliore, non sequatur

tut inclinationem intellectus ad assensum; probatur; quia inclinatio ad assensum fit eo, vbi sunt plura, vel fortiora motiua, sed in minus probabili, per pensa cum magis probabilis, quantumuis relinquere non sunt plura, & fortiora motiua, sed sunt in magis probabili; ergo qui sequitur minus probabile, relicta probabiliore, non sequitur inclinationem intellectus ad assensum, tū assensum ipsum: nam illi assentiatuſ intellectus necesse est, in quod fortius inclinatur, cum liberū nō sit opinari, atque ita à primo ad ultimum, cum qui sequitur minus probabilem relicta probabiliore, non sequatur assensum intellectus, qui est dictamen rationis, quod inter duo contradictionia necessario tendit eo, vbi sunt fortiora motiua, que semper sunt in probabiliore, non potest licetē agere; & hoc argumentū, si benè intelligatur; existimo demonstratiū, & vis in eo est, quod potest quidem assentiri ratio minus probabili, cum nō est opposita probabilior, sed cum hæc est, non potest, quia opinari non est liberum, sed inter duo contradictionia necesse est opinari illam partem, vbi sunt fortiora motiua.

Probatur quinto, quicumq; in syllogizan-
do

dō practicè in ordine ad electionem faciendam, non adhibet moralem, ac debitam diligentiam, vt vere syllogizet, non excusat ab ea ignorantia, seu errore, si erret, seu quod idem est; qui scit se non adhibuisse moralem diligentiam, quād debet ad cognoscendum, quod sit verū, vel falsum in agibilibus, quod sit licitum, vel illicitum, peccat, sed qui sequitur minus probabile, relicta probabiliore, non adhibet moralem diligentiam ac debitam, vt non erret in syllogizando, imò diligit potius errare; ergo non excusat, si erret, quemadmodum sāpe errare continget. Maior patet, quia ignorantia vincibilis, & affectata, non excusat secundum omnes. Minor probatur, quia nemo dicet adhibuisse moralē diligentiam ad aliquod negotium recte per agendum illum, qui sponte minus probabilitia media adhibuit ad eius rectam executionem; cum hic, vt plurimum à fine ab erret, nam ratio diligens, vt in pluribus nō fallitur, & maior ratio est existimādi illum falli, qui sequitur minus certa signa veritatis, quād illū qui sequitur magis certa, seu minus fallibilia. Confirmatur, quia quis dixerit aliquem adhibuisse diligentiam ad cognoscen-

cendam, & eligendam veram monetam, qui illam, quæ minus vera visa est, elegit ; & ex duobus equis emendis domino suo, quorum alter est malus, alter bonus, illum eniit, qui attentis omnibus indicijs bonitatis minus bonus videtur. Confirmatur totum argumētum, quia qui non satagit, ut cognoscat, & agat iustum, non agit iuste.

Probatur sexto, ex Tullio afferente in libro de senectute, quod magna felicitatis est veras opiniones in senectute saltem assequi, at veræ opiniones non possunt tem evidenter ostendere, seu veritatem demonstrare; ergo censendæ sunt magis probabiles, & ut veras assequamur, magis probabiles sequi debemus.

Confirmatur ex Aristotele 2. de Anima, tom. 152. intelligere, in quo est recte, & non recte; recte quidem prudētia, & sciētia, & opinio vera, non recte autem cōtraria horū, ex quo sic argumentor; recte intelligere, & sapere, est sequi opiniones veras, sed qui sequitur minus probabiles, ut plurimum sequitur falsas, quia ut plurimum ratio humana, post diligentem discussionē, nō fallitur; signatum est enim super nos lumen vultus Dei, qui est pri-

prima veritas, & argumenta tēi fiduciarit de regitur qui sequitur minus probabiles, ut plurimum, non recte intelligit, neque sapit, unde prudens appellari non potest, neque bonus, quia voluntarie complectitur id, quod ut plurimum est error, nam ex diuibus contradictorijs, cum necessaria una sit vera, altera falsa, minus probabilis, ut plurimum erit falsa. Confirmatur; quia sic in Christiano populo paulatim corruptentur mores, & sana doctrina circa ipsos; nam corruptio morum, & doctrinae moralis est introduc̄tio falsarum pluriarum opinionum; sed sequēdō minus probabiles, ex iam dictis, ut plurimum sequuntur falsas; ergo introducentur sic plurimæ falsæ, quæ præscritim, quia laxiores sunt, & magis attrident sensui, ideo enim quisque sequitur minus probabiles relictis probabilioribus, facile aditum in animos patentes intuerent. Confirmatur secundo, de sana doctrina circa mores, quod corruptetur in Christiano populo magna ex parte, & malis, securis corruptis moribus, quia sana doctrina est vera doctrina; non enim, quia putat quis aliquid esse licitum, si est illicitum, est sana doctrina, sed falsa est, & per se mala, neque boni,

De Opinionum Praxi

ni, sunt mores; si verè mali, sunt secundum rem, quia putat, quis esse bonos, sed per se mali sunt: docet enim Aristoteles lib. 5. & 6. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. esse quem incontinentem per se, si faciat, quod per se est contra continentiam, aliud verò per accidens, quia putat sic esse, quare si sequamur minus probabiles opiniones circa mores, cum hæ ut plurimum sint falsæ, mores per se mali in Christianam doctrinam, ac vitam inducentur, & peccata multa saltem materialia suadentur, & publice, ac passim admittentur, quod non est parui cœstimandum; nā doctrinæ Christianæ veracissimæ, ac de se potius seueriori, quam laxiori multum repugnat, & ob est admisceri zizania errorum, qualia sunt materialia peccata, & laxitarum in genere moris, immo peccata materialia sicut formalia, nisi adhibetur diligentia debita, ad illa cognoscenda, & vitanda. Quis autem dixerit illum diligentiam adhibere, vt cognoscat, & vitet peccata, seu errores, aut falsitates, qui dedita opera sequitur id, quod magis appetit peccatum, & error, & falsitas, quam contrarium; nam si magis probabilis appetit magis vera, oportet vt contradicto-

rai

Disputatio.

§ 8
riā minus probabili apparet magis falsa quam vera, qui vnam falsam esse necesse est. Propterea S. Thomas opusculo 8. art. 13. ait quem peccare, si faciat contra legem, etiam si non arbitretur facere, quod intelligendum est, si non adhibuerit debitam diligentiam, vt veritatem cognosceret.

Probatur septimo, in nullo alio humano graui negotio, in quo agatur de proprio cuiusque commodo, seu interesse, sequitur quis minus probabilem partem, aut minus verisimilia media ad illius finem consequendum, ac si quis illa sequatur, negligentia, seu culpæ ipsius imputabitur; ergo multo minus id faciendum est in negotio animæ, in quo agitur de offensa Dei, & de vita aeterna consequenda, ac si id fiat, negligentia, & culpæ est imputandum. Antecedens patet ex supra dictis de seruo emente equum, signa habentem minora bonitatis, & monetam eligente auream, quæ minus veri auri appetit; quis enim hunc non culpuerit de male acto negotio Domini. Neque dicas in casu nostro negotium male agi non posse, quia sufficit ad hoc, vt benè agatur, vt probabilem opinionem sequaniur; nam hoc sufficere, quando

H 2

De Opinionum Praxi

do relinquimus magis probabilem, est illud, de quo disputamus, neque à te, vt verum, est aslumendum, & nō sufficere satis suprà probauit. Deinde cur sicut non sufficit terreno Domino, vt seruus ipsius minus verisimilia media adhibeat ad negotium rectè proficiēdum; sufficiet cælesti, vt eligat homo minus verisimilia media ad rectum inueniendum, & proficiendum? nonne si errauerit, vt ferè errauit arguetur, eò quod sponte errauerit.

Probatur octauo, si quis arcu iaceret sagittam, & collimaret ad aliquod signum, & probabilius illi esset, sic iaciendo collimatrum, sed cum læsione manus, aliter verò iaciendo, non ita probabile esset, collimatrum, sed futurum, sine læsione manus; certè is si multo pluris astimaret collimationem, quā manum illæsam, sine dubia sequeretur, nisi stultus esset, probabiliorem rationem collimandi cum læsione, quā minus probabile, sine læsione; sed in exquirendo, quod cū licitum, iacimus quasi ad collimandum; ergo si multo pluris faceremus agere, quod est licitum, quā aliquod nostrum temporale commodum, probabiliorem partem agendi, quod est licitum, sequeremur potius cū in-

com-

Disputatio.

59

commodo temporali, quā minus probabile, cūi commodo; atque hoc est, quod S. Thomas docet illo quodlib. s. cit. eum, qui dubitans esse malum, seu illicitum, illud facit, anteponere temporale spirituali. Neque dicas illū, qui sequitur minus probabile, non dubitare practicè, sed deponere dubium per hoc, quod probabile opinionē sequitur, afferentē, quod sit licitum. Cōtra enim est, quia non habet ullam rationē, tale dubium depōndi, quia si habet rationem, seu opinionem aliorum probabilem, quod sit licitum, at habet probabiliorem, quod sit illicitum, ynde cūi habeat motiuā maiora ex parte, quē afferit illicitum, nō potest, neque Physice opinari, quod sit licitum, quia liberum non est opinari, sed oportet secundum motiuā, si ergo nō potest opinari, quod sit licitum, quod certissimē tenendum est, ex Aristotele, & rationes suprà, neque potest deponere dubium, quod habebat, & sic in dubio non potest licitè agere, imò est in deteriori conditione, pro eo licitè faciendo, quā qui est in dubio; quia cū habeat fortiora motiuā, inclinantia ad assensum, quod illud sit illicitum, opinandum est illi, illicitum esse, non autem

De Opinionum Praxi

contrarium, itaque minus potest illud licetē facere , quām qui est in dubio , & hoc argumentum benē nota.

Probatur nono , ex multis absurdis , quæ sequuntur ex isto afferto , quod liceat sequi minus probabilem partem , quæ quidem ita sunt absurdā , vt diuferint ab inicem aduersarios , & inter se pugnare coegerint ; nam alij absurdā illa , vt vere sunt , esse fatentes ; rationem aliquam afferre sunt conati , cur generalis ipsorum propositio de minus probabili licetē sequenda , limitanda sit , & cum exceptionibus intelligenda : alij verò considerantes exceptiones sine fundamento vere rationis afferri , audacter negant illa esse absurdā , quamquam reclamante conscientia ; quod enim concedunt , absurdū non esse , imo afferunt prudenter , & licetē fieri , id ipsi agi secū nullo modo vellent , nempe si ægrotaret , nascisci Medicū , qui minus probabilem ipsos curandi sequeretur , aut si litigarent , pro iustitia se litigare putantes , habere iudicē , qui pro minus probabili , cōtra magis probabilem iudicaret , aliaq̄ huiusmodi , quæ tantum ore tenuis cōcedere possunt , vt vera . Probatur igitur nostra affectio nona , ex-

Disputatio.

60

primo absurdo , quod est de Medico : sequere tur enim Medicum curantē ægrotū , cui magis probabile esset tale medicamentum , non pro futurū , minus verò probabile pro futurū , cū habeat aliud æquiparabile , quod magis probabile est pro futurū , posse licetē tunc dare illud medicamentum , quod minus probabile est pro futurū , relictō eo quod magis probabile est pro futurū , sed hoc est absurdum ; quia nullus vellet talem Medicū , qui probabilius non curaret , & non curando permitteret mori ; & similiter posset dare medicamentum , quod magis probabilit̄ ob esset , & minus probabilit̄ prodiceret , & sic probabilius occideret .

Respondent aliqui concedendo maiore , negando minorem , ita Azotom. 1. lib. 2. c. 17. quæst. 11. Aragonius 2. quæstione , q. 63. ad dub. penult. Salas 1. 2. 3. quæst. 21. tractat. 8. disput. vnic. sect. 15. à num. 15. 6. Diana de opinione prob. sed hæc responsio , non satis facit , quia nemo , vt dixi eligeret Medicum , qui probabilius occideret , quām sanaret ; & si quis hunc eligeret , aut probaret , hunc ego censerem , magis ægrum mente , quām corpore ; at si reprobandus est , vt vere est repro-

H 4

ban-

bandus certe non propter inficiā; sed propter malitiam, quia non medici officium impletet; sed homicidam ageret, & latronem; idque nō alia ex causa; nisi quia minus probabilem sequitur, relictā probabilitate. Autem, cum desperata est vita ægris, dubium medicamentū dari possit; non pertinet ad præsentem generalem quæstionem.

Respondetur igitur alijs melius sibi, & ægris consilentes, tunc Medicum sequi probabiliorem partem, ita Suarez, Vazquez, Sanchez, & alijs apud hunc cit. cap. viii. num. 41. Ratio autem exceptionis duplex est, una Suarez, quam̄ reprobat Sanchez, & nos inferius magis opinione examinavimus, ne hic longius faciamas, altera Sanchez assertis Medicum sic teneri, non quidem ex obligatione iustitiae, & sui officij, sed ex debito charitatis, quæ petit, ut certiori modo, quo possumus, ægri subueniamus.

Sed contra est opinio, quia medici officium est atque libere medicamenta, si præsto sunt, quæ existimat, seu opinatur profutura, & nō ob futura, sed minus probabilem partem ex dictis superius præfertim in secunda ratione nostræ assertoris, non potest opinari, probat biliore

biliore relictā, eo quod hæc habeat fortiora motiva, quæ necesse est, intellectum sequi in iudicando de ipso, nempè de medicamento, an hoc, vel illud dādum sit; ergo si sequitur minus probabilem partem, non satisficit officio suo, & sic peccat contra iustitiam.

Contra est secundo, quia nulla est ratio exceptionis, inquit ex hoc dicto Sanchez probo, & confirmo contra ipsum propositionē nostram generale, quia si charitas, seu amor proximi petit, sicut ipse fatetur, ut certiori medio, quo possumus, ægri subueniamus; ergo etiam amori veri, & recti, quod in omnibus nostris actionibus spectare debemus postulat, ut certiori modo quo possumus illud assequamur, nam verum, & rectum est participatio quædam, & summa similitudo diuini est, & summa à Deo diligitur; ecce enim veritatem dilexisti Psalmus 50. & recte via Domini, adeoque præponendam est omnibus temporalibus, & humanis commodis, quia est bonum quoddam præcellens ac diuinum; si igitur ex amore ægri tenemur ut in medio certiori, seu magis existimam verò, ad hoc ut ei subueniamus; ergo non minus ex amore veri, & recti, quod à nobis amati,

& tota diligentia inquire debet; & quod nisi sic inquiramus, & amemus, peccamus formaliter, non tantum materialiter, neque de ignorantia excusamur, tenemur uti medio certiori, ut illud quæ assequamur; ita sicuti, qui non vtitur certiori Medico ad subueniendū ægrotō, conuincitur ex Sanchez, & Vazquez non diligere ægrum, & peccat, ita quicumq; non vtitur medio certiori ad assequendum verum, & rectum, conuincitur non amare verum, & rectum, seu honestum, & sic conuincitur hoc ipso malus. Et certè dolendum est quod in causis nostris, ubi salus corporis periclitatur, aut axis cōseruatio, ut mox patet, minus probabilem secundum istos Doctores non licet sequi, & licet id in causis animæ ac Dei longè gravissimis, quare illos perstringet non nihil illud Poeta, ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignes, ut serues animatum, quicquam tolerate negabis: nam ut dixi nimum lēdit quicquamque non adhibet diligentiam, ut quantum potest verum, & rectum assequatur, non adhibet autem, qui sequitur minus probabilitatem, sicut confitentur isti Doctores, non adhiberi à Medico, cū minus probabilem sequitur, ut ægrotō sub-

ueniat; id circa enim contra charitatem peccat secundum ipsos, quia non vtitur Medico certiori, qui potest ipsum sanare, quod est non adhibere diligentiam debitam, ut sannet.

Probatur decimo, ex absurdo, quod sequitur de iudice, qui posset sic quandoque sequi minus probabilem partem contra probabilitatem, ferendo sententiam in favorem eius, qui pro se minoris momenti rationes habet, aduersus illum, pro quo militant maioris momenti rationes; at hoc absurdum esse nemo non videt. Tum, quia sententia debet sequi iudicium intellectus, seu rationis; at iudicium intellectus nullo modo potest inclinari in illam partem, quæ habet minora motiva, quia ex Aristotele, & supradictis opinari, non est in nobis, quare sententia si profertur pro parte debiliori, profertur cōtra iudicium, & dicetamen rationis, & sic omnino iniqua est. Tum, quia sine ratione imò, ut dixi, contra rationem, maius ius lēditur, quod est ex parte vnius. Non igitur audiendi sunt illi, quibus apud Sanchez loco citato istud non videtur absurdum, quibus profecto tale iudicium in sua causa displiceret, & se finique cau-

De Opinionum Praxi

cāusa cācidisse conquererentur.

Respondet igitur alij, præfertim Sánchez, Vazquez, & Ioannes de Hugo, vir accutissimus, ac etatis nostræ lumē clarissimum esse disparitatē in hoc casu, ob quām excipi debet ab illa propositione generali, quām ipsi admitunt de minus probabili lícitè amplectenda. Primo, quia cum sunt partes, ius suū cuique reddendum est secundum mérita causæ. Secundū, quia Respublica cōstituit iudicē, vt dirimat causas, secundum quod ei melius videbitur. Tertio, quia videtur acceptio personarum, sicut cum digniore post habito cōfertur beneficium minus digno. Sed contra est, quia disparitas nulla videtur, vnde si absurdum est, sequi minus probabilem in hoc casu secundum istos auctores, erit etiam generaliter in alijs. Primū enim nō obstat, quia in ceteris casibus quibuscumq; non defunt partes ius suum exigentes, & quidem pluris cōsimandæ, ne forte lēdantur, quām accidat in causis iudiciorum de rebus temporalibus. Nam ctim. queritur, sit ne aliquid lictum, vel non, partes sunt lex honesti, & humana libertas, sunt Deus Legislator, exigens honestum, & homo q; qui sepe suū commodum in-

intendit, vnde dicitur populis ex Dei nomine Isaiae 41. simul ad iudicium propinquemus, & Psalm. 50. vt iustificeris, & vincas cū iudicaris: Deus itaq;ne, & homo sunt partes, quare reddendum omnino, quod est Cæsaris Cæsari, & quod est Dei Deo, idq;ec secundum merita causæ, quæ sunt motiva maiora, vel minora, quod non facit qui sequitur minus probabilem. Denique non est minoris cōsimanda læsio honesti, & Dei offensa, quā læsio partis nempe fortis; lēditur autem honestum, & Deus offenditur, quando non adhibetur debita diligentia, vt honestum cognoscatur, qualem non adhibere probabimus eum, qui sequitur minus probabilem. Neque secundū obstat, quia si Respublica tale iudicium exigit à iudice in causis minoris mēti, quales sunt res temporales; Deus quoque iure optimo tale iudicium exigit à nobis in causis grauioribus, quales sunt anima, & æternæ vita, & eadem omnino ratio est, cur Respublica sic exigit, & sic Deus, nempe amor recti, & æqui, quod semper spectare debemus, & quantum possumus, illud assequi. Neque tertium obstat, immo militat magis pro nobis, quia si acceptio personarum ini-

iniqua est, cum ratio, æquitas maior vnius hominis deteriori alterius, in gratiā hominis postponitur; quanto magis iniqua erit, cum ratio maior est aquior Dei iubentis, ut fiat licitum; quantum possibile est per nos illud cognosci, & exerceri, postponitur deteriori hominis, parere recusantis in gratiā ipsius hominis.

Idem absurdum sequeretur in aduocato, nisi quod hic cum expectet ab alio sententiam, potest tueri reum, quamdiu rationabiliter sperat posse esse, ut ratio pro ipso melior appareat, & causa iustior, postquam fuerit diligenter excusa, quam spem si non haberet, aut certe si non melioris, saltem æquè bonæ causæ, iam deffendendo huiusmodi ageret contra propriam opinionem, & conscientiam, adeoque peccaret.

Probatur undecimo, ex absurdo, quod sequitur in administratione Sacramentorum, in qua sequendo minus probabilem partem expenit se quis periculo irritandi Sacramentum, quia si ita fiat, minus probabile est confici, quam si alio modo fiat, quo magis probabile est, seu etiam certum, illud confici; at expouere se periculo errandi in re tanti mon-

menti, cum possit, qui is tale periculum vita-re, graue esse peccatum, per se satis apparet, ergo, &c.

Respondent aliqui recentiores, ut Sanchez hic, & Vazquez 1.2. disp. 29. quest. 43: non esse hoc absurdum, neque ullam irreuer-sentiam Sacramento exhiberi. Primo, quia probabilem partem sequi possumus, sicut in alijs casibus, in quibus aliquod periculum est, ne materialiter saltem contra preceptū pec-cemus, & tamen quia sequitur quis minus probabilem, non arguitur tanquam reus in-obedientiæ præcepto exhibitæ. Secundo, quia etiam si sequatur, quis magis probabilem, adhuc esset periculum, ne irritaretur eodem modo Sacramentum. Dicunt tamē isti, quod si subueniendū sit proximo indigenti effectū illius Sacramenti, non solum minus proba-bilem, sed neque magis probabilem partem licet sequi, si aliqua alia ratio sit certa, & tu-ta recti conficiendi Sacramentum, quia hæc ex lege charitatis, tunc est amplectenda.

Sed contra est, quia quando agitur, non vtrum aliquid liceat, sed vtrum aliquid fiat, magna differentia est, nā cum quæritur vtrū aliquid liceat, quod incertum est, sufficit iu-di-

dicum probabile de licto ad hoc , vt illud ex alia regula generali iustissimè , & certissimè liceat , quia vt liceat aliquid , non teneamus in rebus moralibus certitudinē habere , quā vix vnquam habere possumus , sed probabilitas sufficit , illa scilicet , quæ maior haberi potest , vel quæ sit probabilitas simpliciter , & non secundūquid , vt dictū est , & infra etiam patebit , quare licitum in tali materia solum pendet à nostro iudicio . At quicum queritur an aliquid fiat , qui effectus nō tam à iudicio nostro , quam à determinatio- ne , seu institutione alterius pendet , non idēo illud fiet , quia ita indicamus , si institutio , seu determinatio alterius aliter se habeat ; vnde in primo casu , an liceat probabiliorem sequendo , non expono me periculo illicitū faciendi , quia scio esse licitum agere cum illo probabili iudicio ex illa certa regula ge- nerali , de qua suprà in 1. quæst. at in 2. an fiat , expono me periculo non faciendi , siue minus , siue magis probabilem sequar , & im- prudenter ago , & in re graui , qualis est con- fectio Sacramentorum grauiter pecco , si eū possim sequi certam ; & tutam faciendi , se- quar probabilem , & non tutam faciendi ; in pri-

primo ergo casu non pecco , quia sequor tu- tam , licet non tutiorem , vt infrà explicabi- tur , in secundo pecco , quia in re grauissima non sequor tutam , in ordine scilicet ad con- ficiendum , quare non solum ex ratione cha- ritatis , sed etiam ex reuerentia , quæ Sacra- mento debetur , tutam sequi semper debeo , nempè certam , non faciendi irritum Sacra- mentum , & ita in primis docet Suarez tom. 4. in 3. part. d. 26. sect. 6. numer. 3. cum alijs . Vnde patet responsio ad duas rationes eo- rum , qui contrarium asserabant , quia in casu conficiendi Sacra menta , neque minius , neq; magis probabilem , cum alia est certa sequi licet , quia hæc solitum tuta est , vt conficiatur , in cæteris vero casibus , in quibus queritur , an quid liceat , magis probabilis est tuta , & nam sequi liceat ?

Probatur duodecimo , Teologicè ex diui- nis scripturis . Propterea . Qui amat periculū , pe- ribit in illo , quam sententiam procul dubio verissimam plerique antiqui Theologi in nostro casu citant ; ex qua sic formo arguē- tū . Qui nō vitat quantum potest periculū pec- candi materialiter , quod quantum potest ; nempè adlibita morali diligentia vitare te- ne-

netur, iste amat periculum, & perit in illo, seu peccat formaliter: sed qui minus probabilem sequitur, relicta probabiliore, non virat quantum potest periculum peccandi materialiter, quod quantum potest, seu adhibita morali diligentia vitare tenetur; ergo, &c. Maior videtur evidens, & cōceditur ab omnibus, nam omnes afferunt, debere fieri moralē diligentiam in agibilibus, vt verum, & licitum cognoscatur, & falsum, & illicitū vitetur, & nisi, quis illam adhibeat, non excusatur de ignorantia, aut errore. Minor etiā patet ex supradictis, quia nemo dicet illum, qui in eligēda moneta, seu equo, eligit minus habentem veræ monetæ, seu boni equivalentia; diligentiam moraliter debitam ac sufficientem adhibuisse, vt bonam monetam, & bonum equum eligeret; consequentia currit.

Probatur decimotertio, Eccles. 19. Qui citato credit, leuis est corde, & in rebus dubijs non est de facili præstandus assensus, vt docet S. Thomas quodlib. 3. art. 10. respondens quæstioni ab ipso propositæ. An auditores diuersum Magistrum, tenentium diuersas opiniones, excusentur à peccato erroris, si op-

opiniones Magistrorum sequantur, qui prout de cum dicit in rebus dubijs non esse de facili præstandum assensum, intelligit de dubio, quod nascitur ex diuersitate opinionum, adeoque peccare illum, qui illas non examinat, vt sequatur veras, sed facile sequitur, utrius ex auctoritate alicuius Doctoris; & quodlib. 8. art. 13. afferit, cum sunt contrariae opiniones, oportere ad hoc, vt quis non peccet, vt ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducatur, & post adhibitam diligentiam non inueniat aliquid, quod eum moueat, ad hoc, quod sit illicitū, seu ad præstandum, quod illud quod est acturus, sit illicitum, sed qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliore inueniat aliquid, quod eum mouet ad opinandum, quod sit illicitū, immo quod plus mouet, quam moueat, quod probat esse licitum, & ex contrarietate opinionem incidit in dubium, cum non sit ratio, cur magis esse licitum, quod illicitum opinetur; immo in deteriori statu est, & magis culpabiliter agit, quam qui est in dubio, quia agit contra inclinationem intellectus in alteram partem, quod est dictamen rationis propter maiora motiva, quæ sunt in magis pro-

De Opinionum Praxi

probabili, quām relinquit; ergo iste, & in dubijs, imò magis apparentibus falsis, quām veris præstat facile assensum contra S. Doctorem, & citò credit, adeòq; leuis est corde, iuxta diuinum testimonium, idest imprudenter agi, & peccat.

Probatur decimoquarto, Iob 29. Causam quā nesciebā diligētissimè inuestigabā, certè non ob aliud id faciebat vir iustus, nisi vt verum assequeretur, & quod rectum est iudicaret; sed qui minus probabilem sequitur, eo quod sit alicuius Doctoris, non diligētissimè inuestigat, vt verum assequatur, vt suprà diximus de monētam, & equum elegente. Et patet cum quis nobis interrogantibus viam, vnuſ respondet hanc, & alter paris auctoritatis oppositam, quod tunc non credimus vni magis, quām alteri, nisi simus leues corde, quantumlibet illos viam satis callere putaremus, quia quantum vnuſ facit credibile, tantum alter facit incredibile esse hanc, & sic dubijs remanemus, & adhuc majorē diligētiā adhibere debemus, vt verum cognoscamus; ergo multo magis, qui assentitur minus probabili contrā magis probabilem, nō adhibet debitā diligētiā, & peccat.

Pro-

Disputatio.

67

Probatur decimoquinto, lib. 3. Regū c. 12. Respōdit Rex populo dura, dērelicto cōſilio seniorum, quod ei dederant, & locutus est eis secundum cōſilium iuuenūm, tunc sic reprehēnditur Roboā, quod secutus sit cōſilium deterius, non enim appetat, quod etiā illud aliquam probabilitatem non haberet, tractandum videlicet esse populum dure, ne liberè sic loqui regi, & ſeditionem inchoare auſuereret; sed quia iuniorum cōſilium prætulit cōſilio seniorum, nō alia certe de cauſa, niſi quia melius iſtud, quām illud censendum eſt; sed qui ſequitur minus probabilem, probalio relictā, cōſilium ſequitur deterius, & minus sapientum; ergo reprehēdēdus eſt; & ſanè ſi minus probabiles opinioneſ ſequi licet, iuvere licet ſecundum cōſilium minus sapientum, imò vt plurimum errantium, nam ex contradictorijs vna tantum veram eſſe necesse eſt, & vt plurimum eſſe debet probabilior, & magis sapiens æſtimator rerum eſt, qui ſecundum pondera ipsarum iudicat, quæ ſunt momenta rationis.

Probatur decimosexto, ex S. Auguino, quem suprà retuli pro noſtra ſententia dicit

I 3

enim

De Opinionum Praxi

enim, ut refertur cap. in canoniciis d. 19. in illis scripturis, quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas esse eas, quas plures grauiorisque recipiunt his, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiarum admittunt; ergo ex Augustino iuxta maiora, & grauiora motiva est iudicandum; ergo probabilior temper sequienda.

Probatut decimo septimo, ex S. Thoma illo opusc. 8. cit. sic qui ex opinionibus contrarijs dubitat aliquid esse licitum, vel illicitum, si facit peccat, sed sequitur minus probabilem, non abstulit dubium de illicito; ergo peccat. Minor probatur, non tollitur dubium de illicito practice, nisi iudicetur practice esse licitum, sed qui sequitur minus probabilem, non habet, unde formet hoc iudicium, quod sit licitum; ergo non tollit dubium; maior patet. Minor probatur, quia per se vnde formet hoc iudicium; an quia licitum est sequi opinionem, quæ afferit esse licitum, cum sit probabilis opinio; sed primo, hæc est petitio principi; quia de duabus probabilibus oppositis quæstio est, an possit quis sequi unquamlibet probabilem; secundo dubium tollendum videre oportet, quodnam erat,

du-

Disputatio.

50
non enim erat dubium, an opinio vtraque esset probabilis, sed vtra esset vera, an illa quæ afferit esse licitum, an illa quæ negat licitum, & afferit illicitum; hoc est enim dubitare, an sit licitum, vel illicitum, sed cum hoc quod sit probabilis vtraque, adhuc remanet dubium, vtra sit vera; ergo per hoc solum, quod est probabilis, non est sublatum dubium, quod erat, & sic non licet illam sequi. Tertio, dubium remanet, cum æquales sunt rationes pro vtraque ex Sylvestro 4. dubiuni, qui citat ibi S. Thomam, & Aristotelem, remanet inquam dubium ex contrarijs duabus opinionibus, quænam sit vera, & sic an sit licitum, ut una afferit, an illicitam, ut altera, & peccat, tunc ex S. Thoma qui facit, seu qui vnam sequitur cum hoc dubio; ergo multo magis peccat, qui sequitur minus probabilem, quia hic non solum dubitat, sed credit, seu opinatur illicitum, quod probo. Quia opinioni non est liberum; ergo illam oportet opinari, quæ habet maiora motiva, qualis est magis probabilis, sed illa ex suppositione afferit illicitum; ergo non potest hic, nisi opinioni tale opus esse illicitum; ergo cum hic qui sequitur minus probabilem, opinetur il-

I 4

lici-

licitum esse opus, & faciat illud contra cōscientiam, & ex peruersitate voluntatis, magis peccat, quām qui agit cum dubio. Quarto, non potest qui lequitur minus probabile, hoc iudicium practicum formare, quod opus sit licitum; ergo, &c. Antecedens probatur, maiora motiva sunt pro illicito; ergo non potest quis formare iudicium practicum, quod sit licitum. Consequentia patet, quia non est in nobis ex Aristotele, formare iudicia, seu opinari; Antecedens probatur, quia ex suppositione magis probabilis est illa, quæ asserit illicitum; ergo habet maiora motiva, & hoc argumentum, quod puto demonstratiuum, optimè ac diligētissimè aduerte, quia ex concessis ab aduersarijs, quibus in cōfesso est debere nos, ad hoc, ut licite agamus, habere practicum probabile iudicium, quod opus sit licitum, nec solum ex concessis ab aduersarijs, sed etiam ex euīdēter notis; probat nostram conclusionem, quare in capite apponendum, & iterum repetendum.

Probatur igitur, non appono numerum, quia iam est dictum, quia ut quis prudenter, & recte operetur, debet habere probabile iudicium, quod licitum sit illud, quod opera-

tur (hoc est iudicium practicum ultimum, quod dubium continere non debet) sed qui sequitur minus probabilem, non potest habere hoc probabile iudicium; ergo, &c. Major est clara, & à Sanchez, & omnibus concessa; minor etiam est clara, quia habens fortiora motiva pro illicito, non potest habere iudicium probabile de licito, cum opinari, seu iudicare probabiliter in nobis nō sit, sed sequatur motiva fortiora, qualia non sunt in minus probabili, sed in opposita, & sic consequentia claudit.

Probatur decimoctauo, ex eodē S. Thomas; vult enim S. Doctor quodlib. 8. art. 13. in contrarietate opinionum, si yna amplectenda est, ita nobis alteram improbabilem videri, yt nihil nos moueat quin alteram indubitatam teneamus; quanto minus igitur ille concederet posse nos illam amplecti, cuius contraria ita nos moueat, vt maiora veritatis argumenta habere illam censemus; quām longe quāso distant à sensu tantī Doctoris, qui quantumuis reclamante conscientia, quæ sequitur validiores rationes, & fortiora motiva, declinare illam volunt in eam partem; inquam pr̄ponderante parte con-

De Opinionum Praxi

contraria; nullo modo, neq; etiam Physicè; inclinari potest; nonne hoc est formare conscientiam contra conscientiam, & opinari non secundum apparentem rei veritatem, sed fingere verum ex nostro arbitrio?

Probatur decimonoно, legaliter ex Theodosij edicto, quod lege apud Varoniū anno Domini 435. quod sic habebat, vbi diuersæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat auctorum, vel si numerus æqualis sit, eius partis præcedat auctoritas, in qua excellētis ingenij vir Papinianus emineat, qui vt singulos vincit, ita cedit duobus; at si magis probabilis in argumentis extrinsecis sequēda est publico tanti Imperatoris arbitrio. Idē etiam faciendum in intrinsecis, idem etiam in intrinsecis, & extrinsecis simul perpensis; ergo, &c.

Probatur vigesimo, ex receptissima, & cōmuniſima consuetudine ciuitatum, Rerum publicarum, Regnorum, ac proinde totius Orbis iudicio, decidi enim solent, ac finiti, vbique controversiæ ad plura suffragia, se- quendo probabiliorem per extrinsecā argu- mentā, & nūquam duo, vel trēs ex vna par- te pluris estimantur, quam plurimi ex altera,

præ-

Disputatio.

70

præfertim iudicio paribus, neque cēsent vñ quam sequendam partem minorem quamquam probabilem alioqui per se, at in comparatione alterius reprobandam; vt mirum sit, ac magnopere dolendum in rebus tātum animæ, & causis Dei tanta cum laxitate, ac libertate ad dictum vnius, aut alterius sine debita discussione, & reclamantibus pluribus, & rationibus, & auctoritatibus controverſias modo terminari.

Ad argumenta contrariæ sententiæ iam respondendum est. Ad primum, nego minorem; quia opinio probabilis in comparatione oppositæ magis probabilis, nō potest generare in aliquo iudicium probabile, nani vt dixi, opinari non est liberū, sed sequitur motiua rei fortiora, igitur inter duas partes, seu opiniones probabiles positus intellectus opiniari non potest, seu præstare assensum probabilem illi, quæ habet debiliora motiua; & hoc ex Philosopho, & ratione ostendimus perspicue quæſtione secunda, quare iudiciū probabile de minus probabili in cōparatione magis probabilis habere nō potest, habel- ret tamen illud, si vna tantuſſet probabilis, & non altera, & propterea probabilis, etiam mi-

De Opinionum Praxi

minus probabilis appellari potest, sed in cōparatione magis probabilis non est, imo reprobabilis, quia iudiciū probable generare nō potest. Neq; te fallat, quod minus probabilis appelletur opinio, ac proinde videatur esse iudiciū probabile; nā appellatur opinio, quia potuit esse, vt de factō fuit, vt quibusdā illa, quæ videtur tibi minus probabilis, visa sit magis probabilis, & hi propterea illā opinari potuerunt, seu de illa habere probabile iudiciū; at si visa esset etiam illis minus probabilis, profecto in cōparatione magis probabilis, nec illi, nec illus vñquam præstare illi potest assensum probabilem, quod est illā opinari, seu esse eius opinionis, quia opinari non est in nobis, sed sequitur fortiora motiua. Neque dicas pariter, opinionē aliorum facio meam, quia non potest hoc facere propter opinionem cōtrariam aliorum, magis ponderantem in tuo intellectu, ac proinde omnino vñrantem, vt tuus intellectus inclinetur in assensum alterius; vnde vides duo manifesta. Primum, ruinam fundamenti aduersiorum, qui ex eo quod opinio aliquorum sit probabilis putarunt me posse illā pariter opinari, seu præstare illi probabilem assen-

sūm; quod impossibile est in comparatione alterius oppositæ probabilioris. Secundum, quod euīdēs est, & ex hoc primo inferatur, non valere consequentiā, est opinio probabilis aliorum; ergo possum illam sequi, sicut illi sequuti sunt; nā illi auctores sequuti sunt, si opinari, & non fingere voluerūt, quia ipsorum intellecū maiora, & fortiora motiua ex illa parte proposita sunt; alioqui nunquā sic opinari potuissent, quia opinari nō est libertum, sed ex motiuis; tu verò sic opinari non potes ex illorum tantum opinione, quia habes motiua maiora ex parte opposita, siue intrinseca sint, siue extrinseca, hoc enim nihil refert, modo verè sint maiora, & fortiora, quæ assensum probabilem intellectus in suam partem trahunt. Quomodo igitur, o bone vir, & qua iusta ratione opinari potest licitum, exempli gratia, Cambiū recursū, quia quoruūdam est opinio probabilis, quod liceat, si aliorum esset ex altera parte, quod nō liceat, magis probabilis, plurimorū scilicet, & Doctorum? Nosce igitur fallaciam argumenti huius primi, quia videbitur probabilis opinio aliorum, non potest generate in aliquo probabile iudicium, seu pro-

probabilem assensum in comparatione oppositæ probabilioris.

Ad secundum distinguo maiorem; existimans probabilem, seu opinionem probabile secundum quid, nempè secundum quædam motiva, simpliciter autem, & respectiue non probabile, cò quod non posset generare probabilem assensum, considerata cum altera opposita, & omnibus motiis expensis, & secundum illam operans, non est imprudens, neque malus, nego: Existimans probabilem respectiue ad alteram oppositam, & simpliciter omnibus motiis expensis, & secundum illam operans, non est imprudens, neque malus, concedo: Nō enim aliqua solum motiva expendenda sunt, sed omnia examinanda, & opinions ponderanda cum sunt contrariæ, vt recte S. Thomas ex supradictis, & in hoc sensu falsa est minor argumenti oppositi, & patet ad probationem maioris, quia qui sic operatur sine causa, & sine ratione probabili respectiue, & simpliciter.

Ad tertium respondimus cum S. Thoma q. præcedente.

Ad quartum distinguo consequens, sufficit, vt eligamus probabiliter opinata à nobis,

bis, cedendo, à quibusdam alijs, cum alijs plures, & grauiores opinentur contrariam, nego, vel sufficit, vt eligamus probabiliter opinata secundum quid, nego: Simpliciter, & omnibus consideratis, cedendo: Quia sic tantum potest illi præstari probabilis assensus, vnde sic simpliciter est probabilis, & quia Deus requirit à nobis, vt omnia expēdamus ad hoc, vt verum, & licitum assequamur, & tunc sufficit, vt sequamur, quod probabiliter iudicamus verum, quare tūc, nego subsumptam.

Ad quintum nego primum antecedens: Nam sufficit diligētia moralis, & iuxta gratitatem, ac difficultatem dubij occurrentis proportionata, saltem vt sit in negotijs seculi, in quibus si opus sit, plura consilia expetuntur, & inuicem examinantur, & iudices sacerdetales audiūt Aduocatos, & Doctores, pro vtrâque parte, & expendunt rationes, & probationes vtrinque adductas, cur non etiam idem fiat in negotijs animæ, & æternæ vitæ, & Dei? quamquam in communibus actionibus, & quotidianis satis per se apparet, quod sit licitum; vnde sicut graue non est in actionibus domesticis, atque politicis, humanum com-

Dē Opinōnūm Praxi

commodum spectantibus probabiliōē semper sequi partem, sicut omnes faciunt, ita neque graue debet videri in assequendo id, quod honestum est; ceterum in rebus dubijs, & difficilibus non oportet, vt inquit S. Thomas, cito præstare consensum, alioqui qui cito credit, ex diuino oraculo, leuis est corde, & ex Philosopho ad pauca respicientes facile enunciāt. Secundo, nego consequentiā, quia minus probabilis simpliciter non est probabilis: non enim probabilem assensum generare potest ex dictis. Vnde qui illā sequitur, agit contra iudicium, seu dictamen rationis, & sic peccat; non solum ex negligētia, sed etiam ex malitia.

Ad sextum nego antecedēs, vt patet, quia agit contra dictamē rationis, quæ nullo modo potest inclinare assensum in minus probabilem, in comparatione magis probabilis, quando dicitur quod non est in dubio; imo est in deteriore contradictione in ordine ad sequendam licitē minus probabilem, quamvis, qui est in dubio, quia dubitans, non propendet in hanc partem magis quam in illam, at hic propendet intellectus ad assensum magis probabilis tamquam veræ, &

mi-

Disputatio.

71
minus probabilis, tanquam falsæ, neque aliter rebus, sic stantibus, præponderare potest; ergo qui falsam opinata sequitur, cōtra conscientiam agit, & plus peccat, quam qui est in dubio:

Ad septimum, negatur consequentia, vt patet ex suptadietis: Quia peccat, non adhibendo diligentiani, cum teneatur, vt amplectatur, quod secundum se est licitum, immo facit contrarium, hoc autem est peccare formaliter.

Ad octuū, nego consequentiam: Ad probationem æquiuocatis, & falsa inuoluis distinguo igitur; Sufficit iudicium probabile de veritate huius, licitum est hoc agere, concedo: Sed tale iudicium, nunquam habetur de minus probabili, cum haec habet oppositam magis probabilem negantem, quod sit licitum, & tamen istud iudicium probabile, est illud quod requiritur etiam ab aduersarijs, vt quis honestè agat; sufficit iudicium de probabilitate huius, neppè quo iudico, probabile esse, quod hoc opus sit licitum, nego; Quia cum iudicio de probabilitate, stat dubium de veritate, & stat etiam iudicium de falsitate, quia existi-

K

mo

De Opinionum Praxi

mo aliquam opinionem probabilem, & ad-huc existimo falsam; ergo non est iudicium-hoc, quod sufficiat ad honeste agendum, & male etiam vocas illud iudicium probabile; nam de probabilitate habetur iudicium scie n-tificum, vide suprà.

Ad nonū, nego antecedens: *Quia opinari* non est liberum ex Phylosopho, & ratione; vnde nemo potest, non solum moraliter, sed neque Physicè opinari, nisi vt verè, ac de f-a-c-to opinatur secūdū motiuia, quæ habet ma-iора, & fortiora, quomodo; ergo potest, quis opinari cōtra id, quod opinatur? Nonne hęc manifeste, se destruunt? Si dices, potest opinari contra id, quod opinabatur propter ali-quā nouā rationē, concederē: si dices etiā potest opinati ex principijs extrinsecis con-tra id, quod opinatur ex intrinsecis, quia præfert in iudicando auctoritatem, & perspicaciam aliorum rationibus, & perspicaciæ propriae, etiam concederē, sed tunc nihil cōtra me, quia magis probabilis est ipū opini-o aliorum, quam opinio, quæ aliquid eslet propria, si fideret rationibus, & perspicaciæ propriae, sed oportet, vt habeat fundamentū rationis, sic præferendi illam partem, nempè

quia

Disputatio.

74

quia sunt plures, verbi gratia, & Doctores, & qui proprias ipsius rationes expenderent, vel expeditissimè putandi sunt, & tunc non agit cōtra iudicium, aut opinionem propriam; sed contra iudicium, & opinionem, quæ esset propria circa honestatem illius actionis, nisi motiuis intrinsecis, quæ ipse habet, præponderarent, & fortius mouerent extrinseca au-ctoritatum; quare simpliciter opinatur iuxta magis probabilē, & iuxta fortiora motiuia; quod si iste, qui suam quam habet opinionē fundatam in intrinsecis, relinquit propter fortiora motiuia extrinseca, ultra intrinseca, quæ habet, haberet etiā pro se extrinseca au-ctoritatū, paria auctoritatibus oppositis, tūc non posset opinari contra suam, quā habet, sed hanc habeat necesse est, quia fortiora sunt huius motiuia, quare probabilior semper sequenda est.

Ad decimū concessa maiore, nego mino-re, quia subditus in eō, in quo est subditus, & in quo superior non aduersatus diui-næ volūtati, seu legi eō quod iustè imperat, putans se rem licitam præcipere, non suum, sed superioris sequi debet arbitrium; vnde iam sic operari licet, imò tenetur, quare si

K 2

esse

Dī Opinōnūm Praxi

esse licitum, imò sic esse faciendum ex arbitrio superioris iudicat, adeoque, nec agit contra propriam conscientiam, neque minus probabilem opinionem sequitur obediendo, sed sequitur certam: certo enim iudicat ex motiuo obedientiae, sic licitum esse agere, imò sic esse agendum: quare illa actio imperata dupliciter potest considerari, vel ut pendet à solo arbitrio subditi, & sic illicita esset, quia contra dictamen rationis, vel ut pendet ab arbitrio superioris, habentis iustam causam præcipiēdi, quia ipse opinatur rem contrario modo se habere, ac opinatur subditus, & non manifeste errat, & tunc cum suspēsione proprij iudicij circa talēm actionem secundum se, licita potest iudicari ex motiuo obedientiae, neque est contra dictamen rationis, imò secundum dictamen, quia ratio dicit, ut cum res, certa non est, an secundum se sit licita, vel illicita non suo se subditus, sed superioris regat arbitrio. Quare tunc subditus agit secundum propriam conscientiam, & certo sciens ita agendum, quia obediendū; non igitur agit contra propriam conscientiam, aut sequitur minus probabilem partem, quia nō respicit actionem;

vt

Disputatio.

75

ut pendet à suo, sed ut pendere debet ab alterius iudicio, quomodo certum esset esse ipsi licitam, quia ex obedientia fit, quare nego primam consequentiam, & deinde subsumptum, & secundam cōsequentiam, quia sequitur subditus opinionem propriam, sive scientiam, quia iudicat obediēdum in re incerta, non potest autem sic iudicare respectu virti docti, cui non est subditus, quia nullius est tāta auctoritas, qua doctus vir est, ut eius arbitriū sequi quis tuto possit, imò tenetur, sed examinanda sunt momēta rationis, & pōderā auctoritatū, & melior pars sequenda: nam vir unus doctus, non est audiēdus, cum plures pariter docti contrariū opinantur, si sola spectetur auctoritas.

Addo quod ex sacro suprà cū peccet, qui sequitur minus probabiliē notabiliter, si talis iudicio, fraude mirum esset opinio superioris, non tenetur subditus illam sequi.

Obijcies multa falsa sunt probabiliora veris; ergo multa vera sunt minus probabilia falsis; ergo licet sequi minus probabilia, cum vera sint.

Respondeo primo, negando secundam consequentiam: sicut non valet hæc; multi

K 3

qui

qui videntur amici sāpē plus lādūnt; quām qui videntur inimici; ergo tam ijs, qui videntur inimici, quām ijs, qui videntur amici, credere debemus nos ac nostra.

Respondeo secūdo distinguendo, si multa falsa, itaut post diligētē discussionē sint plūra, quām vera, nego; quia multo plura vera sunt probabiliora falsis, alioqui potētia, quæ est in ratione ad veritatem cognoscendam, vt in pluribus falleretur, quod est inconueniens, & non esset sequendum lumen rationis, sed contrarium; itaut sint pauciora multo quām vera, & sic concedo, sed tunc secūda consequentia nulla est.

Respondeo tertio, hoc argumentum nimis probare, quia probaret primo, vt dixi quod lumen rationis non esset sequendum, sed indiscretē tam vera, quām falsa appariētia amplectēda, neq; sufficeret fides, & opinio de honestate actionis secundū se ad hoc, vt licetē quis ageret contra ea, quæ in prima nostra quæstione concedere ostendimus ipsos aduersarios: nam stante fidē, & opinione de aliqua actione, potest esse, vt quis fallatur; Ideo enim est formido, cum opinione, & fide, & consequenter potest esse, vt contra-

ria sit vera, non tamen ideō possum istam sequi, quia agerem contra fidem; ergo nō ideō quia potest esse, vt contraria sit vera, si ratios adhuc, & motuā sint inclinatio in contrariam, & facientia fidem, possum alteram sequi, & sic neque quia aliquando deceptus sum in mea opinione, neque quia multa falsa sunt probabiliora veris, quia sic vt dixi, possem agere contra opinionem, & fidem.

Deinde in dubio liceret agere sine peccato, quod nullus dicit, & est cōtra illud Apostoli, quod non est ex fide, peccatum est. At certè minus sunt ex fide minus probabilia, quām dubia, vt suprā ostendimus; quia dubia neq; assensum, neque dissensum mouent; at minus probabilia in comparatione magis probabilium plus mouent, seu pariunt dissensum, quām assensum.

Respondeo quarto, negando vltimam cōsequentiam, quia iudicium practicum directum à prudentia semper est verum, vt prima quæstione probauimus; at prudentia supponit diligentē consultationem, & iuxta illam rectam electionem, qualis non est, si minus probabilia eligantur, vt suprā ostensum est; ynde iudicium practicum sequens minus

probabilia, est semper falsum, quia non est conforme rectae electioni; unde ex Aristotele sumitur: cius veritas; de quo latius alibi.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ex duabus contrarijs opinionibus a quæ probabilitibus licitum sit utramque sequi, vel alteram.

ADVERTE. Primo supponere me, quod est indubitatum, sæpe tam in materia speculativa, quam etiam practica, seu mortali esse diuersas, & etiā cōtrarias opiniones Doctorum, quorum aliquis circa eandem questionem sequitur affirmatiuam partem, alius negatiuam, vt in speculabilibus, anidē corpus possit esse in pluribus locis per diuinam omnipotentiam, S. Thomas cum suis negat, alij multi cōcedunt. In practicis pariter sunt insignes Doctores, qui assertunt posse iudicē, & teneri damnare reum cognitum à se priuata scientia innocentem: consuetum tamen testibus omni exceptione maioribus, & procedendo secundum allegata, & probata, extra vero alij cōsentant negare teneri, neque licitè

licitè posse talēm damnare. Quærimus igitur hic, an præsertim in materia morum, in qua contingit non solum errare per intellectum, sed etiam peccare in Deum, legem transgrediendo, liceat ex duabus opinionibus a quæ probabilitibus contrarijs sequi utramque, vel hanc, vel illam pro libito, & modo hanc, & modo illam.

Aduerte secundo, non omnem probabilitatem sufficere ex iam dictis, ad hoc, vt possit quis opinari, & licitè sequi in praxi aliquam propositionem, siue opinionem aliorum: nam cum sæpè probabilis sit utraqüe cōtradictoria, & illa videlicet, quæ affirmit licitum esse habere plures præbendas, & illa, quæ negat; nam probabilē esse, non est aliud, quam veram cum aliquo fundamento non leui apparere, potest autem utraqüe contradictionia per diuersa fundamenta rationum, siue media cognoscendi apparere vera, & sic iudicari ab intellectu probabilis, adeòq; res, vt appareat per diuersa media cognoscendi, apparebit modo esse, & modo nō esse, esse licitam, & non esse licitam, quod est utramque contradictionem esse probabilem, res ergo, vt appareat; utraqüe modo contradictione apparet,

paret, & cum ab intellectu iudicatur, vt apparet, assentiri potest, quod secundum utramque partem contradictionis appareat, quod est esse utramque probabilem; atqui res, vt est in se, non potest, nisi uno modo se habere, vnde iudicium intellectus de illa, vt apparet, potest utrumque modo opposito se habere, nepe iudicare de illa, vt apparet, quod utramque appareat vera per diuersa media, & sic utramque est probabilis; sed iudicium de illa, vt est, non potest, nisi uno modo se habere, sicut neque res, non nisi uno modo habere se potest. Ab eò autem, quod in re apparet, seu quod est probabile procedit intellectus ad iudicandum de eo, quod est; & siquidem utrumque modo, seu secundum utramque contradictionis partem æquè appareat, cum non possit, nisi uno modo esse, non potest iudicare intellectus, an sit, vel non sit, nō enim potest iudicare utrumque, quia de re, vt est, nō potest iudicari, nisi quod uno modo se habeat, quia non nisi uno modo se habere potest in contradictionibus, nepe, vel esse, vel nō esse, licet utrumque modo possit apparere; cū ergo ad iudicandum de re, vt est, debeat intellectus iudicare unum tantum, neque habeat

beat rationem ynius magis, quam alterius, neutrum iudicare potest, si modo iudicandū est non ad libitum, quomodo fingeret ex arbitrio, non rem iudicaret, sed secundum rei niomenta, & argumenta, ad hoc, vt illi conformetur; si autem uno modo tantum, vel uno modo magis appareat, non potest iudicare, nisi secundum hunc, si debet in iudicando rei conformari; si enim iudicaret contradictioni, relinquendo hunc, ad libitum, & non rem imitās iudicaret, quod est fingere. Cum ergo res de qua quæritur, seu quæstio duabus modis oppositis, possit apparere per diuersa media, scilicet vera, & falsa, ac proinde utramque pars contradictionis probabilis, & quidem æquè, aut quasi æquè ex utramque parte, & tunc intellectus suspensus maneat ad iudicandum de re, vt est, verbi gratia, si sit actio licita, vel non licita, quia de hoc non potest iudicare, nisi uno modo, & sic utrumque iudicare non potest, sicut nec utrumque potest esse, neque sit ratio iudicandi magis unum, quam alterum; ideo stat intellectus esse dubium, & suspensum ad iudicandum de re, vt est, etiam si iudicare possit de re, vt apparet, quare poterit quidē tunc iudicare probabile

babile esse, rem esse licitam, & probabile esse, rem esse illicitam, sed nunquam poterit proferre hoc iudiciū, quod res sit licita, sed suspensus in hoc, & dubius manebit; & hoc dicto de quolibet iudicio etiam probabili, quia affirmando de re, vt est, cum debeat affirmare vno tantum modo, non habet motiuum à re, affirmādi vnum magis quam alterum, quare neque probabiliter, neque certo affirmare potest; res est licita, licet possit affirmare, probabile est, rem esse licitam, & probabile est, res non esse licitam; quia hoc est iudicium de re, non pro, vt est, quomodo se habet vno tantū modo, sed de re, prout apparet, quo pacto vtroq; modo se habet. Ignitus intellectus, cum iudicat vtrumque esse sequè, vel quasi aquæ probabile, nam parum pro nihilo reputatur, in dubio est; an sit, vel non sit secundum rem, & non iam secundum apparentiam, ac proinde in dubio est, an res sit ita, vel non ita, sit vera, vel falsa, sit licita, vel non licita, & sic cum queritur, an aliqua actio sit licita, quantumvis intellectus iudicet probabilem esse, aquæ vtramque contradictionis, nempè & quod licita sit, & quod non licita, in dubio tamen

remanebit, neque poterit vnum de duabus iudicare etiam probabiliter, an sit licita, vel non sit licita, quia tale iudicium vnius tantum de re, non habet à re motiuum validum ad iudicandum. Hinc patet primum aliud esse iudicare, aliquid esse probabile, & iudicare probabiliter aliquid esse; quia primum iudicium est de re, vt apparet, seu de apparentia rei, quæ vtroque modo, & affirmatiuè, & negatiuè se habere potest, & sic vtraque pars contradictionis iudicari probabilis; secundum vero iudicium est de re, vt est, seu de esse ipsius rei, quod vno tantum modo, vel affirmatiuè scilicet, vel negatiuè se habere potest, & sic vna tantum pars contradictionis iudicari, quod sit, vel non sit. Quare iudicium probabile de re vno tantum modo esse potest, vnde recte dixit Aristoteles opinari non esse liberum, quia non est ad vtramque partē contradictionis, sed ad unā, & ad illam, quæ habet motiuua ad elicendū assensum; iudicium vero de re, quod sit probabilis, vtroque modo esse potest, & affirmatiuè, & negatiuè; atque vtiā, hoc dixinxissent multi Doctores, vt sspè dixi, non enim posse nos opinari vtramque con-

traditionis partem , & in praxi sequi, affirmassent. Patet hinc secundo intellectu inter duas partes æquè probabiles positum verè, ac proptie dubium remanere ad proferendū iudicium de re , vt est : nam cum uno modo tantum proferre debeat, affirmando scilicet, vel negando non habet ullum motiuum, seu rationem sufficientem ad proferendum tale iudiciū. Patet tertio, quod initio huius aduertendi proposuimus, non quamlibet probabilitatem sufficere ad hoc , vt possit quis opinari, ac licet sequi in praxi aliquam propositionem, seu opinionem aliorum, quia cū probabilitate utriusque partis æquali , vel quasi æquali, non potest quis opinari unum, & indicare probabiliter de re , verbi gratia, quod sit licita ; quia autem ferè in moralibus probabilia tantum sunt agibili, adeoq; sequi in praxi probabilitatem, necesse est aliquando licere. Videndum restat, quænam probabilitas ad agendum sufficiat, quæ verò non sufficiat.

Aduerte tertio, verificari has duas propositiones, quod utramque pars questionis contradictionis est probabilis, & non est probable utramque partem contradictionis esse veram;

ram; quod prima propositio vera sit, patet ex supradictis. Secundam vero etiam veram esse patet, quia sicut probabile non est utramque partem contradictionis esse veram , ita neq; est probabile. Hinc autem sequitur, quod verum esse non possit id, quod quidam dicunt, licitum esse sequi in opinionibus probabilitibus utramque partem contradictionis, eò quia possumus sequi licet, quod est probabile; nō potest inquam hoc eorum dictum esse verū, quia sic licite sequeremur, quod est probabile, & quod non est probabile; nam cū non sit probabile utramq; partem contradictionis esse verā, si licite possemus sequi, quod est probabile , possemus licet sequi , quod non est probabile esse verū; vnde committitur magna contradictione. Oportet igitur distinguere de probabili, quod possumus sequi. Nā aliud est probabile secundū quid, aliud probabile simpliciter, & quidē probabilis secundū quid dicitur illa propositio, quæ secundum aliquod medium , seu motiuū talis est, licet secundū aliud ipsa non sit probabilis, sed contraria; illa verò simpliciter dicitur probabilis, quæ attrahit nō tātū aliquibus medijs, sed omnibus, per quæ illius veritas cognoscibilis est, expensis, pro-

probabilis iuuenitur. Et quidē cū vtraq; pars contradictionis est probabilis nō potest esse, nisi secundum aliqua media, quia secundum hæc quidem vera apparet vna pars, secundū alia vero, apparet vera altera cōtradictoria, nam idem secundum idem appareret idem; & nō oppositum; at omnibus simul, & inui- cē expensis ad iudicandum ex illis de re, nō nisi uno modo apparere potest, vel affirmatiuē, vel negatiuē, vel dubiē, non magis uno modo, quā opposito; Quare nō vtraq; nēpē affirmatiua, & negatiua omnibus expensis simul, & inuicem apparet potest vera; quia vel illa, quæ sunt p̄ vna parte, cōtra alterā, h̄bent victoriā, inuicem, & simul expensa, vel vincuntur ipsa, vel in dubio stat victoria partis vtriusque; Etū quidem vna pars vin- cit, illa apparet vera, & dicitur probabilis simpliciter, seu omnibus expensis, si neutra viicit, neutra pariter apparet vera simpliciter, sed tantum secundum quid, & non po- test discerni, aut iudicari aliquid vnum sim- pliiciter, nempē quod sit vera, vel falsa, sed remanet dubia, quia intellectus, qui vt de re iudicet, vnum simpliciter iudicare debet, nō enim potest iudicare, quod partim vera, par- tim

tim falsa sit, partim licita, partim non licita, suspensus remanet necessario, & dubius, & sic res, seu quæstio simpliciter dicetur non probabilis, neque improbabiliſ, sed dubia. Cum igitur iudicium, quod ferri debet de re ab intellectu, an videlicet licita sit, vcl non licita, vera, vel falsa, quodque debet præce- dere electionem, non debeat esse de re, qua- tenus est cognoscibilis per aliqua media, sed quatenus est cognoscibilis moraliter per omnia; quia alioqui non esset iudicium pru- dens, sed ad pauca respicientis, quales sunt imprudentes, & cito credentes, & alias si so- lumi per aliqua media, & non per omnia iu- dicetur, possit contingere error, sicut s̄pē contingit: nam omnibus consideratis, quod per aliqua probabile prius videbatur, iam nō videtur probabile, ideo non sufficit ad pru- denter eligēdum, quod probabile sit aliquid secundum quid, sed debet esse probabile sim- pliiciter, quia alioqui non esset facta debita diligentia ad verum inquirendum, nempē omnia considerando, & inspiciendo, & sic error esset culpabilis. Ex quo patet, quod illa propositio, sufficit in moralibus probabili- tas, vera est de probabilitate simpliciter, nōn

autem de probabilitate secundum quid, quia per hanc non iudicatur de re simpliciter, neque iudicatur de illa secundum debitam diligentiam, quae debet adhiberi in considerando, quae est, ut expendatur inuicem, ac simul omnia media, per quae moraliter cognoscibilis, & iudicabilis est, quo solo modo res potest esse simpliciter opinabilis; nam cum per aliqua probabilis secundum unam partem contradictionis, & per alia & que probabilis est secundum alteram, non est opinabilis, quia in neutrā inclinari intellectus potest, ut praestet illi probabilē assensum, & licet de vtriusque partis probabilitate secundi quid scientificè iudicet; de veritate tamen rei dubius manet. Et haec est ratio validissima, ut ego quidem existimo, & per prefatam distinctionem rem totam declarans, & detegens errorrem, siue fallaciam, que orta est in hac materia confundendo probabilitatem simpliciter, quae sufficit ad prudenter eligendum cum probabilitate secundum quid, quae minimè sufficit. His igitur prænotatis, ut questioni respondeamus.

Prima sententia affirmat, posse uniuersumque ex duabus contrarijs opinionibus, & que pro-

probabilibus utrāque sequi, seu modo hanc, modo illam licet, & absque peccato, modo absit scandalum est eorum, qui minus probabilem afferunt licere sequi, de quibus supra.

Probatur primo, ambas opiniones æquè probabiles iudicantur, sed in mortalibus licet sequi, quod est probabile; ergo licet ambas sequi.

Probatur secundo, opinio tollit dubium; ergo si sum in dubio de re aliqua, seu de aliqua questione, per opinionem aliorum possum illud deponere; ergo possum sequi utrāque probabilem opinionem.

Secunda sententia negat, estque plurimorum, & magni nominis, quos citauimus infra pro nostra assertione.

Dico primo; Duarum opinionum oppositarum æquè probabilium, non licere utramque sequi, nisi utrāque aliunde sit tuta.

Explicatur pro intelligentia: Non idem est esse opinionem probabilem, aut probabilitatem, & tutam, aut tutiorem, quod bene notauit Sanchez citato cap. 9. 1. Decal. Diana vero de opinione probabili, & alij quidam sine discussione confundunt.

De Opinionum Praxi

Nam probabilitas maior, vel minor, respicit motiva rationum magis, vel minus inclinantum intellectum, siue inclinent magis ad partem, quæ certissimè est sine peccato, siue ad eam, quæ potest esse, & formidari potest esse cū peccato. Tuta vero, vel magis tuta dicitur opinio, quatenus, aut simpliciter, aut magis distat à periculo peccati; vnde aliqua opinio potest esse probabilior altera, & tamē minus tuta, quam sit illa, verbi gratia, quòd quis statim, atquē peccauit, teneatur confiteri, fuit opinio quorundam magis tuta, sed tamen minus probabilis; erit igitur opinio, seu propositio tuta, quatenus erit absque periculo peccandi, erit probabilis, quatenus inclinare poterit intellectū ad prestandum illi assensum, sic explicata proposi^{tio}. Est Aristotelis, qui negat liberū esse opinionari, illo tex. 2. de anima, suprà citato; at sic liberum esset S. Thomæ, qui opusculo 8. art. 13. apertè solum concedit posse nos in contrarietate opinionum licet solum illam sequi, quam ita veram existimamus, vt ab altera opposita, nihil intellectus moueatur per rationes, seu motiva illius, quare si est vtraque æquè probabilis, sancti Doctoris iudicio eligi

Disputatio.

83

elegi vtraque minimè potest, cum in vna est peccandi periculum. Adde quod concedit opusculo 3. Angelicus in alijs, quæ ad mores nō pertinent vtramque sequi nos, vel defendere posse, at non in ijs, quæ ad mores pertinent, in quibus scilicet est peccandi periculum. Scoti loco allegato quæst. 5. vbi cū sunt duæ opiniones quarum vna est probabilior altera, dicit non sine peccato aliquem se exponere dubio, sequendo scilicet minus probabilem; at eadem ratio est, cur sit dubium cum periculo peccandi, cum sunt æquè probabiles, & non æquè tutæ, vt patet Gabr. vt manifestum redditur ex verbis citatis quæst. 5. quæ non repeto Maioris 4. quæst. 2. prol: apertissimè Ioann. Cællarij Parisiensis, vide suprà quæst. 5. lucidissimam de hoc ipsius sententiam Conradi de contractibus, quæst. 100. vbi concedit, quòd potest quis in contrarietate opinionum vnam sequi, dummodo formet sibi bonam conscientiam; sed bene subdit, quod bona conscientia, quæ formandæ est, stare non potest, cum æquilibri conscientia, dictante pariter, & quod sit peccatum secundum alias rationes, & secundum alias, quod non sit peccatum, quia in tali

dubio non potest formari bona, & non dubitatiua conscientia; nam ut dicit Philosophus, non dubitare, cum dubitandum est; & cetera apud ipsum legere potest, & ibid. conci. i. ait, quando agens habet aequaliter conscientiam, quod peccet, & quod non peccet, peccat. Sylvestri v. dub. & v. opinio, ubi ad hoc propositu multa ex S. Thomae, & alijs Theologis egregie colligit; ait enim dubium probabile, quod distinguit a scrupulo, est quando rationes probabiles ex utramque parte sunt quasi aequales, & in tali dubio operando, quis peccat. Subdit iterum, si probabilitas hinc inde esset aequalis, tutior est eligenda necessario, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis; dicit ibidem pariter, quod secundum Philosophum & S. Thomam; o. dist. 17. dubium est contrariorum rationum aequalitas, & dist. 18. artic. 14. ad secundum dubitatio inquit sanctus Doctor causatur, quando aliquis rationem eius, quod querit, & de quo contraria apparent, videre non potest. Et alibi idem S. Doctor, dubium est, cum intellectus non habet sufficientia motiva ad veritatem cognoscendam. Vnde, subdit Sylvestris, propriè homo du-

dubit de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad utramque partem aequaliter, vel quasi aequaliter mouentes, & v. opinio; opinio inquit est, quæ habet credibilitatem fundatam in humana ratione in sufficienti, & non concludente necessario, sed probabiliter pro una parte, & non pro alia; nam si habet rationem ad utramque partem aequaliter, non opinio, sed dubitatio est, in qua ut supra docui, non potest quis licet operari. Est etiam Cordubensis in suo questionario lib. 2. quest. 3. Pauli Comitoli resp. moral. lib. 5. q. 17. Toleti citato loco supra de sept. pecc. mort. c. 20. & aliorum.

Probatur primo assertio nostra, quia cum utramque est aequaliter probabilis; nempè quod licet, verbi gratia, cambium recursus, & quod non licet, ad hoc intellectus est dubius de veritate rei, an licet scilicet vere, vel non licet, ut patet ex aduertendo secundo, neque potest cum fundamento dubium deponere per hoc, quod utraq; sit probabilis secundum quid, quia probabilitas secundum in quid, neq; tollit dubium de veritate rei, cum non faciat rem simpliciter probabilem, neque sufficit ad eligibilitatem ex supra iam dictis, sed in-

dubio, an aliquid liceat, non licet agere; ergo, &c.

Probatur secundo, non potest quis licet agere, nisi opinetur se licite agere, sed cum opiniones de honestate alicuius actionis sunt contrariae, & æquæ probabiles, non potest quis opinari esse honestum, seu licitum id, quod agit; ergo non potest utramque licet sequi.

Maior conceditur ab aduersariis, & patet, quia quod non est ex fide, peccatum est. Minor saxe probata est suprà, quia in paribus motiuis duarum partium, non potest intellectus opinari unam, sed ad iudicandum, an honesta sit actio, nec ne, paria sunt motiua duarum partium afferentis, & negantis; ergo non potest intellectus opinari unam, nempe afferentem, quod liceat; ergo neque voluntas potest illam sequi.

Probatur tertio, quod res vera, & falsa appareat, utroque modo iudicari potest; sed quod sit, non nisi uno modo; at cum æqua sunt motiua ad iudicandum, quod sit, non est ratio, cur iudicetur potius uno modo, quam altero; ergo non poterit intellectus proferre iudicium, & sic dubius, seu suspensus remane-

nebit; at sic est in casu nostro, cum contrariae opiniones sunt eque probabiles quarum una afferit actionem esse licitam, altera negat; ergo dubius remanet intellectus, an licita sit, vel non licita, & sic non potest licet agere.

Probatur quarto, quamvis utramque sit probabilis, non tamen probabile est utramque esse veram, sed non potest quis licite sequi, quod non est probabile esse verum; ergo utramque non potest, quis licet sequi.

Probatur quinto, probabilis opinio cum æque probabili contraria reddit dubium intellectum de veritate rei, liceat ne, vel non liceat, sed cum tali dubio non licet sequi minus tutam; ergo maior probatur, quia ex utramque parte sunt paria motiua ad iudicandum de veritate, sed ex una tantum est veritas; ergo dubius remanet illius ad iudicandum pro alterutra.

Dices cum Sanchez citato loco dubium de honestate rei; siue actionis est speculatum, non practicum, quia licet intellectus in genere dubitet, an hoc facere sit honestum, & citra Dei officiam, at hic, & nunc non dubitat, iudicat enim sibi licitum, seu honestum esse,

esse, cum probabilem opinionem habeat,
quæ istud afferit.

Sed contra est, quia iudicium practicum
probabile de actione, quod sibi sit licita, non
potest haberi per hoc, quod probabilis sit
opinio, quæ istud afferit, quia probabilis opini-
o, quæ afferit istud esse licitum cum æquè
probabili opposita, quod non sit licitum, nō
tollit dubium, an sit licita, sed ponit; igitur
quod sit probabilis opinio afferens licitam,
tunc non tollit dubium, an sit licita. Quænā
ergo ratio tollet hoc dubium speculatum,
vt haberi possit illud indicium probabile præ-
ticum, quod sit licita sibi?

Nam aliquam rationem ad dubium tol-
lendum necessariam esse ipse Sanchez cum
reliquis affirmit. An quia licitum est vnicui-
que sequi opinionem probabilem? sed hoc
est in questione, & petitur principium; nam
quærimus, & disputamus, an licitum sit vni-
cuique sequi opinionem probabilem, cum
est opposita æque probabilis, nec assumentū
est tanquam verum id, de quo disputatur.

Deinde iam probauit, & iterum probob, fal-
sum hoc esse, quod assumitur, nempè quod
licitum sit vnicuique sequi opinionem pro-
ba-

babilem in casu nostro, nempè cum oppo-
sita est æquè probabilis. Non licitum est,
cuiquam sequi opinionem probabilem, non
tollentem dubium, an actio sit secundum se
licita, nec ne, sed opinio probabilis afferens
actionem secundum se esse licitam, cum op-
posita æquè probabili negante, nō tollit du-
bium, an sit secundum se licita, nec ne, igitur
non est licitum cuiquam illam sequi. Maior
paret, & conceditur à Sanchez illo cap. 9. n.
18. quod nimirum probabile iudicium habe-
ri debet de actione secundum se, quod sit li-
cita, vt licite agatur.

Et probatur denuo. Primo, quia dum du-
bitatur, an sit actio licita secundum se, si cui-
quam esset licitum illam exercere, licitum
esset amplecti non magis licitum, quam illi-
citum secundum se, & utramque eodem mo-
do esset eligibile, sed hoc est absurdum. Se-
cundo, sic possemus existimare licitum nostro
arbitrio id, de quo dubitatur, an sit verè in se
licitum, sed in dubio non licet opinari unam
partē, quia ex Aristotele suprà probauimus,
non esse liberum opinari, & non est vlla ra-
tio, cur vnam opinemur magis, quam con-
trariam, neque utramque opinari possunt, us-
qua

quia res non potest esse licita , & non licita,
 & Deus illam videt , qualis sit ; ergo in-
 dubio , an in se sit licita , non possumus lici-
 tam opinari ; at si non possumus opinari lici-
 tam vniuersaliter , neque possumus opina-
 ri licitam nobis . Deinde peto quare licitum
 nō est cuiquam agere in dubio , seu cum du-
 bia conscientia , quod omnes concedūt ; cer-
 tē non nisi quia non pariter illicitum atque
 licitum eligibile est . Ideō enim non est mihi
 licitum modo hoc eligere per voluntatem
 meam , quia intellectus non iudicat magis
 esse licitū , quam illicitum , igitur in re prius
 oportet , vt intellectus inueniat rationem li-
 citi magis , quam illiciti ; quam fiat mihi lici-
 tum , illud eligere : at posita æquè probabili
 opinione , quod res in se sit licita , cum altera
 æquè probabili , quod in se non sit licita , in-
 tellectus non inuenit in re rationem magis
 liciti , quam illiciti ; ergo non potest fieri mihi
 neque cuiquam alteri licitum . Stat ergo
 quod cum dubium est an aliquid sit secundū
 se licitum , vel non licitum : non licitum est
 cuiquā illud facere , sed sic est , cū æquè pro-
 babilis est afferens licitum , ac afferens illici-
 tum , vt probauī suprà ; ergo in tali casu non
 po-

potest formari illud iudicium practicum , es-
 se licitum operari : quod volebat Sanchez , &
 contra omnem rationem ratio , vt cumque
 probabilis opinionis assuntur ad inferen-
 dum , quod aliquid sit licitum .

Et probatur sic sexto , cum est dubium de
 uno ex duobus , non tollitur tale dubium per
 hoc , quod afferit aliquid commune utri-
 que , sicut si sit dubium , an sit Petrus , vel Pau-
 lus , nō tollitur per hoc , quod afferit , quod
 sit homo ; ergo cum est dubium , an aliqua
 actio sit licita , vel non licita , non tollitur per
 hoc , quod afferit probabile est , quod sit li-
 citum : nam si probabile est , commune est utri-
 que tam licito , quam nō licito , & cum utro-
 que sit etiam æquè . Sed tale dubium opor-
 tet tollere , vt licite agatur ; ergo probabile
 esse non sufficit , vt licite agatur .

Probatur septimo , probabilitas secundum
 quid non sufficit ad licitam , & honestā elec-
 tionem faciendam , sed cum duæ oppositæ
 sunt æquè probabiles , utrilibet illarum ha-
 bet solum probabilitatem secundum quid ;
 ergo tunc non est quod sufficiat ad honestā ,
 seu licitam electionem faciendam . Maior
 patet ex adu . 3 . quia honesta electio sequitur

iudicium prudēs de honestate rei, quod qui-
dem iudicium debet esse de re, attentis om-
nibus, per quæ cognoscibilis, seu iudicabilis
est, alioquin cito crederet quis, & facile ad
pauca respiciens, enuntiaret; sed probabili-
tas secundum quid nō est attentis omnibus,
sed tantum quibusdam, nam alijs attentis,
seu ex p̄sp̄lis probabilitas est in parte contra-
ria, & consequēter improbabilitas in ista: nā
quibus probatur vna contradictorium, ijs-
dem ex necessitate consequentia improba-
tur altera, adeoque tunc attentis omnibus
res simpliciter remanet dubia; non probabi-
lis. Minor est cuidēs, quia cum oppositæ sunt
æquè probabiles, probabilitas vnius est secū-
dum quædam media, & secundum alia alte-
rius; ergo consequentia currit.

Probatur octauia, probabilis propositio cū
opposita æquè probabili, non est probabilis,
sed dubia; ergo vt sic nō est eligibilis. Ante-
cedens probatur, quia exp̄nsa cū æquè pro-
babili non potest generare probabilem assen-
sum; ergo, &c. Confirmatur, quia dubium est
quando intellectus non habet sufficiens me-
dium ad veritatem inueniendam, seu ad al-
teram partem concludendam ex S. Thoma

3 id. 17. art. 4. & Durand. ibid. q. 1. Hinc patet
ad argumenta in contrarium.

Ad primum distinguo minorem, licet se-
qui probabile simpliciter, concedo; quia hoc
non stat cum dubio de veritate rei, licet se-
qui probabile secundum quid, nego: quia hoc
stat cum dubio de rei veritate. Vnde ad hoc
dubitare possum an liceat, vel non liceat sic
agere; nō ergo probabilitatē rei, quā in mo-
ralibus sequi nos posse, ac debere, quia certi-
tudo non datur, & Philosophus, & Theolo-
gi concedunt, accipimus nos illam, quæ est
secundum quid, quia illa cum sit etiam se-
cundum quid improbabilitas propter argu-
menta contrariae partis, non est probabilita-
simPLICITER, sed dubietas.

Ad secundum distinguo antecedens, opi-
nio mea tollit dubium meum, cōcedo: quia
si habeo opinionem de aliquo aſtentior vni
parti, & sic iam nō sum dubius, opinio alio-
rum tollit dubium meum, nego: quia opinio
aliorum ponderata, & exp̄nsa cum opinio-
ne aliorum contraria, non tollit, sed ponit in
medium de rei veritate; & sic nego primam
& secundā consequentiam, quia cum æqua-
liter mouear à duobus contrarijs opinioni-
bus

bus dubius maneo, & licet non possum illā sequi, in qua est peccandi periculum. Propterea egregie docet S. Thomas citat. opuscul. quod in contrarijs opinionibus, vt licet sequatur quis vñā oportet, quod ab altera non moueatur per rationes illius saltem æquè, vel quasi æquè, & ipsemet Sanchez cap. 10. 1. Decal. num. 4. concedit rem dubiam esse, & in ea non licere operari, quando rationes vtrumque sunt pares, vel ferè pares; ergo dico ego, etiam quando sunt hinc, & inde pares auctoritates: nam eadem ratio est extrinseci, & intrinseci argumenti in ordine ad hoc, vt aliis per ipsa de re iudicet.

Dico secundo, cum æquè, aut quasi æquè sunt probabiles opiniones contrariae, idem asserendum, quod in primam assertionem. Est S. Thomæ loc. nunc citato, & Sylu. v. opinio, probatur, quia parum, pro nihilo reputatur.

Probatur secundo, quia experimur non præstari assensum ab intellectu, cum quasi æquè mouetur ab utraque parte ad iudicandum de veritate rei. Oportet igitur, vt notabiliter sit magis probabilis vna, & illi assentiatur intellectus, & voluntas, licet sequatur S. Thomas vult, vt nihil moueat pars contra-

traria, Vazquez 1.2 q. 19. art. 6. disp. 67. cap. 2. n. 7. tenuem inclinationem, seu assensum sufficere putat, sed hic vix, aut ne vix quidē præcipitur, cum est tam tenuis, medio, inquit ille, tutissimus ibis; aut certè tanta sit inclinatio in vnam partem; vt præcipiatur assensus rationis in illam, Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 10:

Dico tertio, duarum oppositarum æquè probabilium tutam esse amplectendam si vna solum est tuta, est S. Thomæ suprà Ioannes Maioris quest. 2. prol. concl. 3. & contra 4. concl:

Probatur ab eodem Maiore ex dicto Augustini, tene certum, dimitte incertum, & ex cane Æsopi, qui veram carnem pro umbra delusus, reliquit.

Probatur secundo: Fortius æquè probabiles contrariae opiniones reddunt dubium intellectum propter æqualia motiva, & cum non sunt ambæ tutæ, remanet dubius intellectus, ne alteram sequendo committatur peccatum; alteram vero sequendo certus est, quod peccatum nō committitur; ergo si minus tutam quis amplectatur non credit, seu non opinatur se recte agere, & sic peccat,

quia quod non est ex fide, peccatum est.

Dico quarto, duarum oppositarum æquè probabilium utramque posse eligi, & in proxim deduci, si non solum sint æquè probabiles, sed etiam æquè tutæ: est communis, & indubitata, quia tollitur dubium, ne utræque liceat, quod nasci potest ex aqua probabilitate contradictoriarū per hoc, quod in neutra est peccati periculum. Sic cum duo proponuntur eligendi, qui sunt æquè idonei, & habent paria, ut eligatur magis idoneus, in potestate est eligentis, eligere quem vult.

Dico quinto, duarum oppositarum æquè probabilium quarum èquè neutra separatim est tuta, sed tamen una necessario est amplectenda, utrāq; esse licitam; est Maioris loco cit. concl. 4.

Probatur, quia cum utræque est æquè probabilis, & neutra æqualiter tuta, non est maior ratio amplectendi unam quam alteram, at propter necessitatem amplectendi unam, illa est licita; ergo utræque, seu utravis. Minor probatur, quia in nullo casu necessitatur, quis ad peccandum, at si minor non esset vera necessitatem, ut patet in casu allato de innocētē, de quo sint duas opiniones èquè

pro-

probabiles, una quod non licet illum damnare cognitum tales priuata scientia, quantumlibet conuictum sufficientibus probationibus, & altera, quod teneatur iudex illi damnare secundum allegata, & probata; si enim necessitaretur iudex ad iudicandum, neque possit officium relinquere, aut aliter agere, posset tunc agere utrumque seu melius ex duobus alterutrum, quia necessitas eadens super utravius, tollit ab ea periculum peccandi.

Obijcies ex eodem Maiore ibidem, stantibus æqualibus motiuis ex utræque parte, nullo modo potest intellectus assentiri, quod una pars sit facienda, altera omissa, sed quicumque agit contra dictamē intellectus, aut non sequens illud in actione humana, peccat; ergo in prædicto casu non erit peccatum, cum remaneat dubium.

Respondet idem sibi ipsi, quod licet non possimus assentiri per intellectum vni parti, cum æqualibus motiuis, quantum est de se, quia verum est illud Aristotelicum, imaginari possumus quando volumus, opinari autem non possumus, quando volumus, attamen ex passione animi possumus vni parti

M 2

affen-

De Opinionum Praxi

assentiti, idque probat experientia, quia si Parisijs dicatur, exercitus Regis est victor in Italia, & duo praesentes sint, quorum alter Gallos diligit, alter Hispanos, videmus profecto illum, qui diligit Hispanos non assentiri, eum vero, qui Gallos assentiri, quamquam cum æqualibus motiuis, solù ex animi passione, & inclinatione voluntatis; quare voluntas pariter faciet, tunc in casu suprà proposito, vt cum æqualibus motiuis illius assentiatur ex inclinatione hoc, vel illud faciendi.

Sed contra responsionē maioris est, quia tunc veritas effati Aristotelici cuerteretur, quæ tamen firmissima est; vt suprà ostendimus. Iam enim passio, vel voluntas inclinaret intellectum, & ille à motiuis non necessario moueretur; itaque melius sentiendum puto cum S. Thom. part. 2. quæst. 13. artic. 5. vbi concedere non vult, quod duobus æquè mouētibus possit fieri electio vnius, nisi aliquid in eo consideretur, in quo magis emineat, adeoque, & multo magis, intellectum dubium, vt sic nunquam vni parti assensurū. Quare ego pariter existimao inter æqualia motiua intellectum semper fote dubiu, neq;

ex

Disputatio.

91

ex passione animi, si perseverarent æqualia motiua, posse inclinari; ad illud exemplum, concedo diligētem Gallos assensurum, amicum verò Hispanorum dissensurum, aut saltem id posse cōtingere, eodem motiuo proposito, sed non æquè mouente, quia ex passione animi ei, qui diligit, fortius repræsentatur, quod est fauorabile Gallis, quam alteri Hispanorum amico; vnde est illud, prout quisq; affectus est, ita iudicat; affectio enī propositionē obiecti variat, sicut color oculiarum variat obiectū, & quod magis amat propter maiorem conuenientiam magis mouet. Igitur obiecti proposita, respondeo distinguendo maiorem, non potest intellectus assentiri, quod vna pars sit facienda magis, quam altera, concedo; quod vna è duabus ad libitum sit facienda, nego; quia cum utramvis sit tuta, utrilibet potest fieri, & tunc considerata, & proposita alia ratione, vel commodi, vel alterius in vna, eligit illam voluntas, propendente in hanc obtalem aliam rationem intellectu.

M,

QVAE.

QVÆSTIO VII.

Utrum tenemur eligere partem tuiorem.

ADVERTE. Partem tuiorem posse distingui à tutâ, quia tutâ caret periculo peccandi ex uno tantum capite, tuior vero ex duobus, aut etiam pluribus; posse etiam distingui à non tutâ, seu non certa secundum se de non peccando, sed tantum probabili, quia contingit quandoque, ut inter duas contradictiones constituantur intellectus, quarum una est affirmativa, quod aliqua actio liceat, altera negativa, quod non liceat; & quidem potest esse, ut affirmativa sit probabilior notabiliter altera, negativa vero sit tuior ad sequendum, quia si quis omittat illud agere, nullum est peccandi periculum, si vero eligat agere, cù sit solum probabilis honestas, est formido saltem materialiter peccandi; & fere in hoc sensu sit quæstio præsens, vtrum videlicet teneatur quis sequi tuiorem partem, quatenus tuior à non tutâ, seu certa, secundum se de non peccando distinguitur.

Dico primo, cū ex duabus oppositis parti-
bus

bus affirmantibus, & negatibus, una est probabilior notabiliter altera, & altera est tuior, non tenemur eligere tuiorem. Est communis, ut patet ex prima quæstione nostra.

Probatur ex ibidem dictis: qui habet iudicium probabile de honestate actionis secundum se, est certus quod non peccat sic agendo, sed notabiliter probabilior pars generatale iudicium; ergo per illam sit quis certus, quod non peccat; ergo non necesse est, cum sit iam tutus, ut sequatur tuiore. Major patet ex prima quæstione, minor est certa ex se, & est supradictis.

Probatur secundo, probabilior est secundum dictamen rationis; ergo licet illam sequi, relieta tuiore; antecedens patet ex quæstione 5.

Dico secundo, aliquando, idque non raro, neque expedire tuiorem sequi.

Probatur, quia qui vult sequi tuiorem sit ridiculus, tanquam vir modici iudicij, & qui timet, vbi non est timor, unde S. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. curans scrupulosos, inquit, nec Deum, nec Ecclesiastico obligare vole, ut quis sit ridiculosus, saltem apud discretos, & bonos, & S. Abros. in part. 5.

tit. 13. Non sit ergo irrationabilis timor, neq; est sapientia sine timore Dei ; ita timor sine sapientia esse non debet: huc etiam venit illud. Prou. noli esse nimium iustus.

Dico tertio: In dubio non semper tutior pars est eligenda: Probatur, quia in dubio melior est conditio possidentis; ergo potest esse ut non sit sequenda pars tutior, ut patebit ex sequentibus.

Dico quartu: In dubio facti no[n] est necesse semper sequi tutiorem; est plurimorum, quos vide apud Thomam Sanchez cap. 10. lib. 1. in Decal.

Probatur, tutior est, quae obligat, ac strinquit, sed non semper in dubio facti quis obligatur; ergo, &c. Minor probatur, quia aliquando est obligatio iam in possessione, quia incipit, & tunc in dubio melior est eius conditio, aliquando non est, quia nondum incipit, & tunc plus requiritur, ad hoc ut incipiatur, quam dubietas, sicut in naturalibus; ergo, &c.

Hinc Doctores docent in dubio an quis emiserit votum, non teneri ad illud, quia no[n] debet ponni obligatio per dubium, quae non erat. At in dubio, an quis soluerit votum teneri,

neri; quia in dubio non debet tolli obligatio, quae iam erat in possessione, hoc autem intelligitur, nisi sit aliquod ius certum positum ipsum dubium facti condemnans profecto.

Dico quinto: In dubio, an actio sit licita, necne, tutior pars est sequenda. Est Arist. S. Thom. & eorum omnium, qui nobis constant in 5. & 6. quæst. aliorum itidem plurimorum, quorum catalogum legere potes apud Sanchez primo in Decal. cap. 10. num. 10.

Probatur ex dictis, quia ad hoc, ut quis licetè agat, debet habere probabile iudicium, quod actio sit licita, sed in dubio neutra pars est ponenda; ergo in dubio, an aliquid sit licitum, non potest ponni licitum, adeoq; non potest res licita iudicari.

Dices expellitur, seu deponitur hoc dubium speculatum per iudicium practicum, quod liceat. Contra: intellectus in iudicando, seu opinando sequitur motus obiecti ex Aristotele; ergo prius in obiecto debet apparere magis ratio liciti, quam cōtraria, sed in dubio, quod supponimus, non sic appetit, supponimus enim dubitari ex parte obiecti,

an sit licitum, vel illicitum. Igitur intellectus tale iudicium practicum formare non potest, vide superiori questione post quintam nostram probationem.

Dices in materia iustitiae, in dubio melior est conditio possidentis, sed in dubio licet actionis in materia cuiuscumque virtutis est possessio humanae libertatis, quae potest exercere utrumque actum; ergo sicut in materia iustitiae melior est conditio possidentis, ut eius pars vincat, ita etiam in dubijs in materia aliarum virtutum erit possidentis libertatem melior conditio, ut vincat eius pars, & sic poterit licet agere in dubio de licitorum deponendo tale dubium speculatum per iudicium practicum, quod non est priuatus, quis possessione sua libertatis, & sic licet agere potest.

Respondeo possessionem ideo meliorem facere conditionem possidentis, ceteris paribus quia minus requiritur ad conseruandum, seu manutenendum id, quod iam est, quam ad inchoandum, quod nondum est; hoc patet in naturalibus: nam forma aquæ, quæ est in possessione, quando iam est in materia, minus requirit qualitatis propriæ, ad se ma-

manutenendum, quam requirat, ut primo in materiam introducatur, quare cum qualitate remissa, vel media, & ut ita dicam dubia se manutenebit, cum qua non introducitur, idque patet experientia, & conceditur ab omnibus; cum igitur est possessio alicuius rei, seu formæ, siue iuris, aut obligationis in moralibus, minus requiritur, ut conseruetur, aut manuteneatur, quam ut primo inchoetur, adeoque se manutenebit ius in possessione in dubio, in quo non inchoaretur, & remanebit obligatio ius in possessione in dubio, quæ non inchoaretur. Ad argumētū igitur concessa illa maiore, ut magis cōmuniter conceditur, licet quidam negauerint, & quidam concessa non solum in materia iustitiae, sed etiam cuiuscumque virtutis cum doctissimis nostro P. Sanchez, & alijs, distinguo minorem, est possessio humanae libertatis. Physice acceptæ, concedo: sed haec non facit ad rem, quia haec etiam est in dubio pratico, & in alijs casibus, in quibus est aliqua obligatio moralis, quæ obligat moraliter voluntatem, ut non illi liceat agere utrumque; est possessio humanae libertatis moraliter, nego: quia semper in dubio de actione licita in qualibet ma-

materia cuiuscumq; virtutis particularis libertas humana est obligata per certum ius in generali , quod in dubio de actione licita nō potest moraliter , seu licitè agere , quamuis possit agere physicè. Obligatio ergo per tale ius est in possessione , quia iā exīstit , & per positionem talis obligationis non est posses-
sio moralis in voluntate. Quod autem sit talis obligatio , sic probo: in dubio practico , an aliqua actio licita sit, est obligatio moralis , per quam tollitur moralis libertas voluntatis ad utrumque , sed in dubio licet actionis semper durat dubium practicum ; ergo in dubio licet actionis est obligatio moralis , & sic non moralis libertas voluntatis , sed obligatio est in possessione ; maior conceditur ab omnibus Theologis , vide Sanchez cap. 10. r. in Decal. init. Minor probatur , iudicium practicum , sive certum , sive probabile , sive dubium , necessario sequitur motionē obiecti , vt patet ex nostra secunda questione superiore , sed perseverante dubio licet actionis ex parte obiecti , eō quod non sint sufficiētes rationes , per quas appareat licita , aut illicita , obiectum iudicij practici perseverat cum motione dubia ; ergo durabit iudicium

pra-

practicum dubium ; iam cōsequentia currit , quod est obligationis moralis , & non mora-
lis , libertatis possessio . Quare apparet falsitas contrarij argumenti , quod nimur sit pos-
sessio libertatis , negatur enim hanc esse in
dubio de actione licita , & consequenter pos-
se deponi dubium speculatiuum de eadem
per iudicium practicum , quod non est priuan-
dūs quis possessione libertatis ; cum enim ta-
lis possessio non sit , cum dubitatur de actio-
ne licita , vt probauī , non potest tale iudicium
firmari , per quod speculatiuum deponatur ,
cum autem dubitatur in materia iustitiae , an
licitum sit retinere rem , quæ iam possidetur
quia dubitatur , an verè sit possidentis , dico
dubium de actione licita , sive speculatiuum ,
sive practicum non perdurare , quia cum sit
inchoata bona fide possessio rei , quæ in du-
bio alio speculatiuo in quo dubitatur , cuius
illa res verè sit , addita vni parti , facit , vt cum
dubijs rationibus possit , ac debeat manute-
neri , iam tollit dubium de actione licita re-
tinendi , seu continuandi possessionem rei ,
quæ verè est , adeoque tunc non est dubium
de actione licita , quia obiectum iudicij pra-
ctici tunc est istud , an res dubia de proprieta-

te ,

te, sed iam ab vna parte possesiā relinquenda sit parti possidenti, & in hoc non est dubium esse licitum. Quare hæc propositio obiectua, in dubio melior est conditio possidentis rem, est veritas indubia de honestate in materia iustitiae.

Non ergo ab hac propositione indubia de honestate, transire fas est ad propositionem aliquam dubiam de honestate in materia cuiuscumque virtutis, etiam iustitiae, & dicere, quod in tali dubio de honestate, melior est conditio possidentis, putando, possessionem stare pro libertate humana, quia in tali dubio de honestate actionis cuiuscumque, seu de actione licita, ostendi possessionem stare pro obligatione, & non pro libertate; & aduerte bene iterum, quod dubium siue speculatum, siue practicum de actione licita in materia iustitiae, tollitur per possessionem rei, quæ est circumstātia, seu ratio quædam, quæ superuenit obiecto dubio de licto, seu non licto, & facit illud iam in dubio lictū, vnde non tollitur dubium de honestate actionis per possessionem libertatis, quia sic non potest tolli, cum possessio non sit libertatis, sed obligationis, ut probauit. Quia verò possessio-

sessio rei tollens tale dubium de honestate, solum pertinet ad materiam iustitiae, & non aliorum virtutum, ideo non licet transire à virtute iustitiae, in qua dubium tam practicū, quam speculatum de honestate, potest tolli per possessionem rei ad alias virtutes, in quarum materia dubium de honestate, siue speculatum, siue practicum non potest tolli per possessionem rei, quæ in earum materiam non venit, sicut venit in materiam iustitiae, ac proinde neque per possessionem libertatis, quæ non est vñquam in tali dubio, nec in materia aliarū virtutum, nec in materia ipsius iustitiae. Dubium igitur, siue speculatum, siue practicum de licta, vel non licta actione in materia cuiuscumque virtutis, etiam iustitiae, per possessionem libertatis tolli non potest, neque deponi, vt loquuntur, quia possessio libertatis non est, sed est possessio obligationis. At verò in materia iustitiae tolli potest per possessionem rei, quia hæc est ratio superueniens obiecto dubio, quæ tollit dubium de licta, seu non licta actione, quæ ratio seu circumstantia, non accidit, nisi materia iustitiae. In cuius rei indicium est, quod si quis existens in possessio-

ne rei , & in dubio, an res sit sua, & teneatur ad restituendum , dubitaret ex conscientia erronca practicè se teneri ad restituendum, peccaret quidem in tali dubio , quia non est in possessione libertatis , sed non teneretur ad restituendum, quia est in possessione rei; qui tamen cum sit in possessione rei, si existimat, ut deberet secundum veritatem, se non teneri ad restituendum, neque peccaret, neque teneretur ad restituendum . ex quo vides, quod dubium practicum in materia iustitiae tollitur per possessionem rei, quæ vere est, quia qui erat in dubio, an posset rem retinere , quia dubitabat, an sui erat per possessionem rei, tollit dubium de honestate retentionis; at dubium de honestate actionis nunquam tollitur per possessionem libertatis etiam in materia iustitiae , quia hæc verè non est in tali dubio. Igitur possessio rei in materia iustitiae tollit dubium de honestate actionis, quia verè est talis possessio ; at possessio libertatis neque in materia iustitiae, neq; aliam virtutum , unquam tollit dubium de honestate actionis, quia talis possessio verè non est, sed est possessio obligationis, & hanc distinctionem benè aducere, quia diu me fatigas

gauit, ut intelligerem, sed cum Dei adiutorio attigi tandem ; unde colligitur dubium de actione licita ; siue speculatum sit, siue practicum, siue generalius, siue minus generale , ut quidam illud appellant, siue formale, siue obiectiuū , ut puto magis appellandum, posse tolli per aliquā rationē superuenientem, siue circumstantiam; quæ faciat tem licitam ex dubia, ut optimè aduertit Sanchez illo c. i. o. modo talis ratio vera illueniatur, quæ afficiat dubium obiectum; at nunquam posse tolli per possessionem libertatis, ut videtur velle ipsum et Sanchez: quia possessio libertatis in tali dubio nunquam est, sed est possessio obligationis.

Dicas secundo: In aliquo dubio, verbigratia facti , vel iuris positivi an se extendat ad talis sensum , quando non est possessio obligationis, quia non est certum ius, quod obliget, sicut in dubio de actione licita esse probauimus, quare non obligatur, quis ad tutiorē partem in tali dubio sequendam , sicut superius asseruimus! Num quia est in possessione suæ libertatis?

Respondeo: ideo non obligari, quia non est possessio obligationis, & ideo in dubio non

De Opinionum Praxi

est sufficiens ratio ad inchoandum obligatiōnem , quia ad inchoandum aliquam formam , siue physicam , siue moralem plus requiritur , vt diximus , quām ad manutendūm , seu ad continuandum possessionem , quando iam est in possessione . Quare possessio libertatis physice non influit vlo modo in obligationem , seu non obligationem moralem , tum quia hoc est transcendere de genere in genus , tum quia talis possessio est etiam , & perseverat cum possessione obligatiōnis moralis , & in omni casu semper est talis possessio , & nihil facit ad hoc , vt quis moraliter , vel obligetur , vel non obligetur , neque vlo modo influit , vt patet . Itaque nō opus est à Sanchez queri , in quo casu sit possessio pro libertate , cum semper sit , & solum videndum remaneat , ad hoc vt sciatur , an obligatio sit sequendi partem tutiorem in tali , & tali dubio , an sit possessio obligatiōnis alicuius , vel non sit ; nam si est possessio obligatiōnis , quia iam obligatio existit , vt cum dubitatur an qui emisit votum , illud soluerit , in dubio manet obligatio , si vero non est possessio obligatiōnis , vt cum dubitatur , an quis fecerit votum , quia tunc obli-

Disputatio.

98

gationondum inchoata est , in tali dubio nō inchoatur per eandem regulā , sed ē conuerto acceptā , quia plus requiritur ad inchoandum aliquam formam , quām ad manutendūm , vnde ad manutendūm sufficit dubium , non ad inchoandum .

QVÆSTIO VIII.

Vtrum unius , aut alterius Doctoris opinio sit sufficiens fundamentum , ad hoc , ut quis similiter opinetur , & in praxi operetur .

AFFIRMANT Quidam recētiores absolu-
tē , & tantum cum limitatione quando non sit contra comunem , aut si sit contra cō-
mūnem habeat tamē pro se validissimam
rationem auctoritati p̄epondērātem ; citat
pro se S. Thomam quodlib. 3. att. 10. quasi
dicat ibi posse quemquām amplecti opinio-
nem , quām à Magistro audiuit in ijs ; quæ ad
mores pertinent ; sed ille dicit totum contraria-
tum , vt ibi legenti patet ; citant etiam An-
gelum , v. opinio , & Syli . ibid . sed Angelus
dicit

dicit in causa dubijs pro multitudine esse presumendum, & loquitur de dubio, quod nascitur ex opinionibus contrariis, & quod adhærendum est Carrotio Doctorum, & quod si nō apparet, quæ sit communis opinio, præponenda est illa, quæ validioribus rationibus firmatur; quare quod afferit in fine posse quem sine peccato sequi sui Doctoris opinionem, iuxta prædicta debet intelligi, si sit communior, vel probabilior, vel nisi, vt ibidem dixerat, ita probaret suam, vt alios superaret: Quare cum suis limitationibus nullo modo potest citari pro hac ita illimitata sententia; Silvester pariter concedit posse quem sequi sui Doctoris opinionem non absolute, sed si magis videtur consona rationi; quare neq; hic simpliciter afferit vnius Doctoris opinionem esse sufficiens fundamentum, ita opinandi, & operandi, sed magis contrarium.

Probatur hæc sententia; quia si vir pius afferat aliquid contigisse Romæ, satis est, vt credatur illi; ergo in morali re dubia idē de pio, & docto vito afferendum.

Dico primo: Quod vnius aut alterius Doctoris opinio, non est sufficiens fundamentum opinandi, & operandi,

opinandi, ac operandi, quando aduersatur communis, nisi forte ita solueret argumentū contrariae, & confirmaret suam, vt aut certā, aut longè probabiliorem suam redderet; est communis omnium Theologorum.

Prima pars probatur, quia communis sententia rem ferè certam reddit, & indubitā, si enim vox Populi, vox Dei, multo magis vox sapientum consentientium.

Secunda pars etiam probatur: quia ex S: Tham, illo opusculo s. art. 13. supr. citato, si quis in contrariis opinionibus ita zni adhæreat propter eius motiu, vt alterius motiu non moueat, ipsum sine peccato secundum suum sensum potest operari; & Durandus in prologo recte afferit, quod dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in insipientiam bestialem.

Dico secundo: Quod vnius, aut alterius opinio non est sufficiens fundamentum opinandi, & operandi, quando aduersatur opinioni plurium, seu grauiorum, seu rationibus probabilioribus, præponderantibus auctoritatī.

Est Aristotelis, qui non vni, aut alteri Doctori opinanti fidendum afferit, sed dubitan-

De Opinionum Praxi

dum, ut veritas inueniatur. Tertio, Metaph., cap. i. ait, ad illam, quæ queritur scientiam, necesse est in primis nos percurrere, de quibus primo dubitandum est. Hæc autem sunt, & quacumque de eius aliter quidam existimarentur, & si quid ultra hæc prætermissemus sit; deinde subdit non solum in scientia, sed in qualibet facultate id faciendum; ait enim est autem operæ pretium aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare, & infra. Quare omnes primo difficultates speculari par est, & horum gratia, & propterea quod illi, qui querunt nisi primo dubitent; similes illis sunt, qui quoniam ire oporteat, ignorant; & ad hæc neque utrum inuenient, quod queritur, an non cognoscere possunt. finis & enim his quidem non est manifestus, illi autem qui antea dubitauerit, patescit. Item melius necesse est se habere ad iudicandum; illum qui tanquam aduersarios omnes utrinque rationes oppositas audiatur. Vbi vides secundum Philosophum, non esse standum yni, aut alteri auctoritati, sed examinadas esse opiniones præsertim contrariantes, & ex illis nasci dubium, & quidem propriè dictum; nam cū dixisset Philosophus, quod ex contraria opinan-

Disputatio.

100

mīntibus oporteat dubitare, ostendit se loqui de dubio propriè dicto, ait enim quatenus enim dubitat, eatenus simile quidam ligatis patitur, utroq; enim modo impossibile est ad ulteriora procedere, per quod patet iuxtamatem Aristotelis, cū cōtraria sunt opiniones, non posse quem ex illis alteram opinari, sed dubium, & suspensum eius intellecum, & quasi ligatum remanere; ideo primo de celo c. 10. cōsideremus, inquit, prius ceterorū opinionibus recitatis, demonstrationes enim contrariorum; dubitationes de contrarijs sunt; ecce quomodo cōtraria opiniones dubium pariunt iuxta supradicta; & subdit; Insuper & dicenda magis credentur si sententiarum earum, quæ in controversiā veniunt, iura prius fuerint auditæ, absentes enim condemnari minus utrique videbūtur; etenim eos qui satis iudicauerint veritatem, non aduersarios, sed arbitros esse oportet. Ecce quomodo docto viro opiniones discutiendæ sunt, nam in docto standum Doctoribus, & pluribus. Est S. Thomæ opusculo 3. & 8. ibi, ac sèpè citato Ioan. Maioris in 4. q. 3. prol. concl. 5. vbi ait; duabus circunspectis maior fides datur, quam yni, tribus plusquā

N 4

duo-

duobus, quorum plus quam tribus, & sic sine fine ; ergo multitudini plus credendum quam paucitati , &c. Erudita & pulchra lege , ibi Conradi de cōtractib⁹ q. 100. vbi ait : quod illiteratus inquirat a litteratis , timentibus Deum , & sicut faceret imminentे sibi periculo corporalis vita , aut rerum , sic etiam , & multo magis in periculo animæ ; si autem est litteratus inuestigat causas ad hærentiæ , quæ ab ipso enumerantur plures , & sunt compendiariæ grauitas , seu pondus auctoritatum , & rationum ; alioqui negligens tales diligentem inuestigationem arguetur cū illis qui þus dicit vnus Isaï. 3. o. Væ filij desitores , vt faceretis consiliū , & non ex me . Et infrā : Ecce os nunc non interrogasti . Debet ergo facere quisque quod in se est ; quid autē sit facere , quod in se est , explicat Alensis 2. part. summa q. 29. in 8. g. i. facere quod in se est , est uti ratione , per quam potest comprehendere verum , & inuocare adjutoriū Dei . Quatenus autem ratio , seu diligentia adhibenda sit subdit Conradus : quanta in talibus solet adhiberi pro rei difficultate , utpote quantā quisque adhiberet , saltē in negotio temporali , quod sibi esset cordi , prout solet dici in discu-

discussione conscientiæ , tempore confessionis facienda , vt dicit Scotus in 4. cſt Gabr. & Ioann. Cancellarij Parisiensis , vide loco sup. q. 5. est Henrici Gandavensis quodlib. 4. q. 33. ait enim : si peritus vir nouit statum Doctoris , qui sententiat contra partem pericularem (nemp̄ in qua potest esse peccatum , si ponatur in actu) habere omnes bonas conditiones predictas , aut plures ex eis , quā alius (nēp̄ qui sententiat pro parte periculosa) nouit etiā rationes eius esse efficaciores , & expressiores auctoritates , quas adducit , iste proculdubio exponens se illi periculo , mortaliter peccat , quia quod agit , non est ex fide siue conscientia , sed contra dictamen conscientiæ , & rationis recte est Cordubensis l. sup. cit. in questionibus praecedentibus , Toleti sum. de sept. pecc. mort. c. 2. o. Pauli Comitoli in resp. mortali , vbi supra , qui etiā citat alios.

Probatur ijsdē rationibus , quibus probabiliorē semper sequendam probauimus sup. præsertim verò illa , opinari non est liberum , sed sequitur motiuū ; ergo opinari non possumus , neque physice , nisi illam partem , quæ fortiora motiuā habet ; ergo vbi sunt plures , & grauiores , seu auctoritates , seu rationes , illam

illam partem opinari necesse est.

Probatur item ex illo Ecclesiastici: Qui cito credit, leuis est corde, quomodo enim non cito credit, ac temere, qui credit paucioribus, & minus probatis contra plures, & probatores; cum in dubijs, ut dicit S. Thom. illo opusculo 3. non sit de faciliter probandus assensus: Et ex illo Regum: Vbi reprehenditur Roboam secutus deteriorem partem consulentium, & ex S. Augustino, quod in scripturis, quae ab omnibus non recipiuntur praeposse sunt, quas plures grauioresque recipiunt his, quas pauciores minorisque auctoritatis, & ex alijs supr. adductis praesertim S. Ioann. Chrys. q. 5. dicitur vulgari proverbio de illis, qui statim credunt, quod ad primam tabernaculum subsistunt, idest sine inquisitione ad melius eligendum, ita multi faciunt in opinionibus, ac sententijs.

Dico tertio: Quod unius aut alterius Doctoris opinio, non est sufficiens fundamentum opinandi, & operandi, quando paritas Doctorum, aut rationum est in contrarium, posset tamen esse, si vel auctoritas, vel ratio contraria non obstat, est S. Thom. sup. qui non concedit posse, quem in contrariis opinionibus

bus alteram sequi, si alterius momenta ipsum moueant; at hic mouent aequaliter, est etiam sylva, qui v. opinio, dicit: rem tunc esse in dubio, cum non habet rationem probabilem ad unam partem tantum, sed ad utramque aequaliter, vel quasi, aut ad neutram; cum autem idem sit de auctoritatibus, quod de rationibus, quia auctoritates in tantum mouent, in quantum censentur ipsis subesse rationes, certum est tunc non posse quem opinari, aut operari, quia in dubio neutrum licet, est etiam aliorum, quos colligere potes ex superiori dictis.

Probatur prima pars assertionis: quia ex modo dictis, & alibi opinari, non est in nobis, sed ex motiis pendet; ergo si motiua sint aequae ex utraque parte, non poterit illius inclinari ad assensum unius, sed suspensus remanebit, sicut statim cum aequalibus ponderibus; neque ratio villa est, cur talis suspensio aut dubium possit deponi, aut tolli, quia cum unus dubitat de moneta, utrum sit vera, vel falsa, quia unus afferit, & alter negat, certe ex his praeceps, hic non potest prudenter deponere dubium: nam rogo propter quam rationem deponetur? quia iste afferit? & alter

paris auctoritatis negat; cur huic potius eredit quā illi? nam dubium nō nisi propter aliquam nouam rationem, quæ ipsum rationabiliter collat, deponi potest, ut confitetur ipsimet auctores contrariæ sententiaz: nō enim possumus ad libitum conscientiam nostram formare, neque tantum non possumus moraliter, sed neque physicè, nā vt suprà ex Aristotele probauimus, imaginari quidem possumus, vt libet, at non opinari, nam hoc fī ex motiuis obiecti, cui debet intellectus cōformari, vt verum dicar; ergo in paribus motiuis imaginari quidem potest vnam partē, non autem opinari.

Probatur secundo ad hominem necessariū est per auctores cōtrariæ sententiaz, ad hoc, ut quis honestè operetur, vt habeat iudiciū probabile, quod hic, & nūc licetè, & honestè operatur; sed cū habet paria motiva, nō potest habere hoc iudiciū probabile; ergo. Minor probatur; quia cum sunt æqualia motiua vnius partis afferentis, esse licitum; & alterius afferentis, esse illicitum, non est ratiō plus iudicandi licitum, quām illicitum; nā si iudicas licitum, quia ille dicit, debes, & iudicare illicitum, quia dicit alter: ergo.

Pro-

Probatur tertio: Sic promiscue eligemus non minus falsum, quam verum, & non minus illicitū, quam illicitum, quod est absurdum.

Probatur quarto: Quia cum hinc inde sunt auctores ex vna parte contradictionis, & altera, necessario ex vna eorum est error; ergo si moralē diligentiam adhibere teneor, ut errorem deuitem, non sufficit sequi auctotatem vnius partis, sed teneor inuestigare, cui magis fidendum.

Dices, cur nō possum, si scite nequeam verum diligentia adhibita, & cur magis teneor tunc absūltere, quia illicitum ille dicit, & nō possum facere, quia hic dicit licitum? respōdeo, quia ad bonum plus requiritur, quam ad malum agendum, vnde cum dubitatur, an licitum sit, vel illicitum, non possum facere, quia vt benè agam, debeo te etiam cōsentiente, iudicare me agere, quod est licitū; at in paribus motiuis, cum sit dubius intellectus, non potest ponи plus vna pars, quā altera, & sic non potest ponи licitum, adeoque non potest operari.

Obijecies: sufficit īdocto consilium vnius probi, & docti, vt illud sequi possit; ergo & do-

docto sufficiet; respondent quidā apud Azor
cum ipso tom. i. l. 2. c. 17. q. 5. negando con-
sequentiam, & bene: sed ego respondeo,
etiam negando antecedēs, si ille indoctus du-
bitat, aut habet rationem dubitādi, eō quod
audiuerit alios aliter opinari, & potest ipos
consulere: nam certè tunc debet, quia ut in-
quit S. Th. in dubijs non cito credere oportet,
& non sic faciunt homines in rebus tem-
poralibus, sed multos consulūt, si res est gra-
uis, quare in rebus dubijs, & grauijbus debe-
ret consulete multos, si potest, & sequi plu-
res, & grauiores, quod si non possit, aut non
occurrit ratio dubitandi de consilio, excu-
sabitur, si ertet.

Dices, quid faciet confessarius apud rusti-
cos, qui tot Doctores, seu libtos cōculere non
potest, cur nō potest hic vni Doctore fidere,
præsertim cuius liber est impreſsus?

Respondeo: si non potest habere plutes li-
bros, aut differat cōsilium, ut interroget do-
ctiores in rebus grauijbus, & dubijs, sufficere,
ut habeat aliquem librum valde probati au-
ctoris, qui vel examinet, & discutiat opinio-
nes, vel sequatur probabiliōres, qualis cen-
ſetur Tolletus, aut quispiam similis, non au-
tem;

rem, sic fidat omnibus libris, licet impreſsis:
nam imprimi permittuntur, nō quia tuto il-
los in omnibus sequi quis possit, sed ut ex
multorū doctrinis veritas elucescat magis:
quare illos relinquat, qui conseruāt opinio-
nes diuersas, non examinando, neque distin-
guendo probabiliōres à minus probabiliibus,
& etiam ab improbabiliibus, qui vt ait Ma-
ior, nihil afferunt coctum, & quorum, ut est
in sacris litteris, non est argentum doctrinæ
igne examinatum, probatum in terræ, purgatū
septuplūm, &c.

Secunda pars assertionis patet ex se, &
prob. ex fundamento contrariæ sententie,
quod hic militat, at contra prædicta à nobis
omnino fruolum appareat, &c.

Corollaria duo predictorum.

COROLLARIVM. Primum. Ratio ynica.
Aristotelis firmat omnes ferè nostras
suprà positas assertiones illa scilicet, quām
supra citauimus 2. de Anima textu 153.
Opinari non est in nobis; necesse enim fal-
sum, aut verum dicere. Probatur igitur as-
ser.

Sertio 2. quæstionis nostræ (nam primam hæc ratio non attingit) sic. Verùm vel falsum est se habens vno modo tantum, & determinatè, & independenter omnino à nostra libertate, sed cum opinamur, necesse est dicere verùm, vel falsum; ergo necesse est dicere, quod se habet vno modo tatum, & determinatè, & independenter omnino à nostra libertate; ergo non potest dici utrumque modo, & indifferenter, & dependenter à voluntate nostra, sive ut volumus, quod est nō esse liberum opinari. Maior est certa, quia verum, vel falsum pendet à rebus, quæ vno modo tantum, & determinatè, & independenter à nostra libertate se habent; nam ideo vera est propositio, quia res est, &c. Minor est Philosophi, & patet, quia semper opinando dicimus verum, vel falsum; consequentia utraq[ue] currit. Probatur ibidem 3. quæstionis assertio: quod non possumus utramque contradictionis partem opinari; quia opinando necesse est dicere se habēs vno modo tatum, sive secundum vnam contradictionis partem; ergo non nisi vno modo, seu secundum vnam tantum partem dici potest. Probatur quarta: quia si probabilem utramque op-

Opinari possemus, iam non vno tantum modo, seu secundum vnam tantam partem dicere possemus, cum sit utraq[ue], utcumque probabilis. Probatur quinta, si opinando dici necesse est, quod se habet vno modo tatum, & determinatè; ergo id tantum opinabimur, quod habet fortiora veritatis indicia, quæ est pars probabilior. Probatur sexta, quia si dici necesse est, quod se habet vno modo, & independenter à libertate nostra; ergo nō est in arbitrio dicere, seu iudicare utramlibet partem, sed suspandi intellectum, seu dubitare necesse erit. Probatur octaua, quia si opinando, vnum, seu vnam partem dici necesse est; ergo si attendantur auctoritatum motiva, cum vno, vel altero, stantibus pluribus in contrarium, opinari nequimus.

Corollarium secundum. Non omne probabile sufficiet, ut opinemur, & sequamur illud in praxi: quia ilud probabile solum sufficit ad opinandum, & sequendum licet in praxi, quod potest generare fidem, seu opinionem de licita actione; sed non omne probabile potest generare fidem, seu opinionem de licita actione; ergo non omne probabile sufficit, ut opinemur, & sequamur illud

in praxi. Maior conceditur ab omnibus, etiā ab aduersarijs, vt ostendimus q. i. lege Sanchez in Decal.lib. i.c. 9. & patet, quia quod non est ex fide, peccatum est; ergo ne peccemus, oportet, vt generetur in nobis fides, seu opinio de actione licita, seu quod liceat, sic agere. Deinde, ideo non potest quis operari in dubio de peccato, quia oportet habere fidem, quod non sit peccatum. Minor probata est sāpe; & patet quia cum vtraque pars contradictionis est probabilis, secundum aliqua motiuia, nempē quod talis actio sit licita, & quod nō sit licita, non potest vtraque generare probabile iudicium de veritate sui; nam sicut vtraque contradictionia non potest esse vera, ita neque probabiliter iudicari potest, quod vera sit; ergo non omne probabile potest generare probabile iudicium de veritate sui. Probabile igitur, quod potest generare opinionem de veritate sui, nempē quod talis actio, verbi gratia, sit licita, non est probabile æquè ex vtraq; parte, quia quantum vnū probat esse licitam actionem, tantum alterū destruit, vt patet in duobus æquè mouentibus in contrariam partem; neque est minus probabile ex una, quia hoc in concurrentiā

al-

alterius validioris non mouet, & sic non est aptum facere fidem, siue opinionem; ergo solum est magis probabile; & ideo vna tantum pars contradictionis, verè & simpliciter probabilis vocari potest, loquendo de illa probabilitate, quæ apta est generare opinionem, siue fidem; quod aduertit Sylcster, & ante ipsum Ricardus de Mediavilla, locis suprà citatis, & alij, nosque ostendimus, fūse suprà quæsti. 6, adeoque hoc illud probabile esse videtur, quod opinari nos semper, & sequi debemus in praxi, vt iuxta dictum Alensis, quantum in nobis est, verum ac rectum sequamur, ac teneamus.

Corollarium tertium. Cum contra rationem, quæ solui non potest, nihil valeat auctoritas opinantium, vt recte Doctores consentiunt, valde considerandum est, quām propendere quisque magis debeat in sententiā antiquorum, hactenus à nobis explicatam, quām in illam recentiorum; siquidē argumentum, quo nitebantur antiqui, nondum solutum apparēt, quantumlibet illud soluere conati sint multi, ac doctissimi Viri. Est autem huiusmodi argumentum ex dictis,

O. 2

quod

quod pariter est fundamentum sententie aequalium. Ad honeste agendum requiritur opinio , siue iudicium probabile in eo , qui agit de honestate suæ actionis; sed tale iudicium non potest haberi de vtraque contradictoria propositione , in qua affirmatur ex una parte honestas actionis , ex altera negatur , quando vtraque est æquè probabilis , & multo minus , quando una est minus probabilis altera ; ergo . Minor probatur , quia in hoc secundo casu solum potest haberi de probabiliore , & in primo de neutra potest haberi , sed tunc remanet conscientia æquilibris , vt illi loquitur , præsertim Ioannes Cæcellarius Parisiensis apud Gabriel d. 15. q. 3. art. 3. dub. 2. aut vt Syluester loquitur , verbo dubium , & verbo opinio , tunc sumus in dubio probabili , propt hoc distinguitur à dubio scrupuloso ; quod quidem dubium probabile , siue conscientia æquilibris non admittit iudicium illud probabile de honestate actionis , quod requiritur secundum omnes ad recte agendum ; nam in aequalibus motiuis contrarijs pro vtraque contradictoria non possunt de vtraque formari duo contrarij probabiles assensus se inuicem excludentes , & mul-

multo minus in inæqualibus ; sequitur ergo quod ex defectu talis iudicij utramque nos æquè probabilem partem , sicut pariter minus probabilem amplecti non possumus , & in proxim deducere . Hoc igitur fundamentum non cuenterunt , sed neque labefactarunt haecenus , quod ego sciam recentiores , contrarium opinantes , quamvis illud euertere conati sint . Nam quod ad illud destruendum commentatus est Vazquez c. 2. quest. 19. art. 6. asserens duos contrarios probabiles assensus circa eandem propositionem moralem haberi à nobis posse , alterum videlicet nitentem principijs intrinsecis , alterum extrinsecis , & suprà impugnatum est à me , nec oportet modo repetere , & ante me non placuit Thomæ Sanchez citato loco , & Ferdinandus à Castro Palao part. 1. disp. 2. §. 2. num. 4. egregie impugnat , quem quisque facile videre potest , neque pariter validum esse probatur ad euertendum prædicum fundamentum , quod ipse Tomas Sanchez asseruit posse illos duos assensus probabiles esse simul , siue ab extrinsecis unus , & ab intrinsecis alter , siue ambo ab intrinsecis pariter motiuis prouenirent ; quia intellectus , vt ip.

se dicit, non affirmat utramque partem contrariam esse certam, sed tantum utramque esse probabilem, quod vere affirmare, & sine contradictione potest; non videtur inquam validum, & firmum, ut ego supra fuse argui, ac deinde reperi etiam Castro Palao citato loco contra ipsum pariter argumentari, eo quod neque ab intrinsecis, neque ab extrinsecis motiuis procedere possunt in eodem intellectu duo assensus probabiles contrarij propter eam rationem, quam attulerat n. i. quia intellectus non habet libertatem proposita veritate obiecti, nisi ut assentiat pars, quam veram existimat, qualis est una tantum pars, & haec sola probabilior, quae est ipsissima nostra Doctrina, quam supra explicauimus, & hanc rationem defendit idem, & explicat ibidem num. 4. ubi etiam attingit equiuocationem à Sanchez factam, de qua nos in permisis, dum facit transitum à probabili obiecto ad probabile iudicium; nā stat quidem de obiecto contrario, seu in contrarium mouente formari posse iudicium, quod tale obiectum sit ex utraque parte probabile, sed hoc est iudicium cuius de probabilitate honestatis, quod est insufficiens ad

ad honestè agendum, & non est illud iudicium probabile de veritate honestatis, seu de honestate ipsa actionis, quod tanquam necessarium ad honestè agendum requiritur ab omnibus, quodque cuni haberi non possit, nisi de una parte contradictionis; manifestum est nondum inuenisse Sanchez, quomodo utramque possit quis opinari, & in praxi sequi. At neque ipse Castro Palao satisfacit meo iudicio difficultati, aut fundamentum praeditum contrariæ sententiæ conuellit, assertens, ad hoc, ut intellectus præstare possit assensum parti minus probabili, suspendere debere assensum, siue iudicium primum probabile contrarium, quod habebat de parte probabiliore; nam sic isto suspenso præbere poterit assensum minus probabili.

Nam contra ipsum est, quia licet verum sit, tale iudicium posse suspendi, ita ut de obiecto nullum iudicium fiat; non tamen verum est posse formari iudicium probabile contrarium de honestate actionis, quia stantibus motiuis, ut ipsem arguit, illo num. i. idq; deinde confirmat in 4. Intellectus iudicat pro ea parte, pro qua verū existimat iuxta propositionem obiecti, at suspenso quantumlibet

bet illo iudicio, adhuc motiva vrgent magis pro parte contraria probabiliore; ergo intellectus, si iudicat, iudicare non potest, nisi pro hac. Si dicas ex imperio voluntatis, non attendere illum ad illa fortiora motiva. Contra est primo, quia potest quidem voluntas imperare, vt non attendat intellectus actualiter, sed non vt saltem habitualiter illa non recordetur, quod sufficiet, vt contrarium assensum elicere non possit. Secundo sequitur, quod qui sic iudicare vult, in iudicio, quod format de honestate actionis, non vult iudicare rectum, seu quod sibi videtur verū, seq̄ nō curat siue iudicet verum, siue falsum; non enim vult attendere motiva, & signa veritatis, quibus ad assensum contrarium induceretur, & sic incurrit errorem affectatum, aut ignorantiam crassam habet, quomodo non excusatur à peccato. Tertio, nemo dicit tale iudicium esse iudicium prudens de honesta actione exercenda, quandoquidem non perpendit omnia, quantum moraliter potest, & debet, arguentia, vt dignoscatur, verè ne sit honesta, an non, seu vt verum à falso discernit, & quum ab iniquo; adeoque erit iudicium insufficiens ad honestè operans.

ständum. Concludetur ergo ex his bene suspendi assensum illum posse de probabiliori parte, sicut etiam suspendi potest contrarius, sed minimè exerceri posse alterutrum, nisi iuxta propositam veritatē obiecti, vt intellectus iudicet; quod verum existimat, cum in hac partem libertatem non habeat, vt is ipse afferebat; at veram existimare non potest, nisi vnam tantum contradictionis partē.

Multo minus valet, quod quidam respondent, non esse incompatibilis cōtrarias opiniones in eodem intellectu, attenta diuersitate temporis, actus, & respectus ad diuersa media. Quis enim non videt, quod probatū est à nobis quæst. 3. esse incompatibilis etiā per diuersa media, & diuersis temporibus, seu actibus, dummodo stent, & consideren-rur motiva utriusque partis, in ordine ad opinandum sine affectato errore, vtra sit vera? cum enim vna tantum vera esse possit, non poterit illius, nisi vnam opinari veram, & non nisi illam, quam obiectum ipsi representat veram per motiva, qualis est sola probabilior, aut neutram, si æqualiter utraq[ue] mouer, aut ad summū poterit omnem actū suspendere.

De Opinionum Praxi

Neque demum satisfaceret, si quis diceat, me sanè iudicio minus male, quam ceteri, non esse quidem utramque opinabilem, sed bene esse licite eligibilem, quia et si utramque veram opinari non possumus, utramque tamen in praxi eligere prudenter possumus: sed contra est, quia cum in aequo probabilibus contrarijs delicto, vel illicito dubius maneat intellectus, an actio sit licita, vel non licita, cum tali dabo non potest quis ad agendum honeste procedere; neque deponi potest tale dubium per hoc, quod utramque sit probabilis: nam hoc non tollit dubium de licito, vel illicito, ut ostendimus supra quest. 6. immo illud ponit, & solum probabilis est utramque secundum quid, sed simpliciter dubia. Neque parum deponi potest per hoc, quod in dubio melior est conditio possidentis. Primo, quia illa propositio communiter non existimatur verificari, nisi in materia iustitiae. Secundo, quia ut diximus supra. 7. intelligitur de possessione rei, non de possessione libertatis. Tertio, quia, ut ostendimus ibi: Possessio non est in hoc casu pro libertate, sed pro obligatione desistendi ab actione; ut enim ibi argumentum est, non est alia ratio, cur cum dubio praetereo.

Disputatio:

110

etico, an licite quis agat, vel illicite, obligatio sit desistendi ab actione, & aliter quis peccet, si cum tali dubio operetur, nisi quia hoc ipso, quod licitum non apprehenditur id, quod agitur, non magis licitum eligitur, quam illicitum, & vt Valentia docet in 1.2. quest. 14. art. 4. actio est volita, seu bona, seu mala sit, quomodo ut dicit idem ibidem violatur lex naturae, quae prorsus vetat velle malum, quantum in ipso homine est; & ex Aristotele 5. Eth. cap. 1. iustitia est ex qua homines iuste agunt, voluntque iusta, id est quae sunt, se iusta sunt, intellige quantum est in ipsis; ergo hoc ipso, quod non apprehenditur adhuc licitum, sed dubitatur an licitum sit, vel illicitum, iam est obligatio desistendi, & sic possessio est pro obligatione, non igitur in tali dubio possessio est libertatis, sed obligatio-

nis.

Ex praedictis igitur omnibus patet, recentiores, quod ego quidem viderim, nondum soluisse argumentum, quod praesertim nititur antiquorum sententia, licet soluere sint conati; ac proinde forte, non immerito illud insolubile existimare quis posset; quod si esset, contraria sententia nullo modo probabilis

De Opinionum Praxi

bilis remaneret ; ego interimi aliorum de
hoc saniora iudicia semper reuerebor,
ad laudem omnipotentis, & om-
ni scientis Dei.

(§)



* F I N I S . *

